DISSERTATIONIS

DE

INTERPRETATIONE LEGUM

PARS PRIMA,

QUAM

DEO TER OPT. MAX. ANNUENTE

SUB PRAESIDIO

Viri Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi & Excellentissimi

DN. HENRICI Hahn ICti, Pand. Prof. P. Facultatis Iuridicæ hodiè Decani, nec non Guelphici Dicasterij Assessoris longè gravissimi &c. Domini, Fautoris & Præceptoris sui ætatèm venerandi.

Publico examini subiiciet

IOANNES Eichel Francus.

IN IULEO MAIORI.

Ad d. IV. Maji.

HELMESTADII,

Typis & sumptibus HENNINGI MULLERI,

Anno CIↃ IↃ C L.

SERENISSIMIS ET ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBVS AC DOMINIS

DN. VVILHELMO
ET
DN. ERNESTO

SAXONIÆ, IVLIÆ, CLIVIÆ AC BERGIÆ DVCIBVS, LANDGRAVIIS THVRRINGIÆ, MARCHIONIBVS MISNIÆ, COMITIBVS IN MARCA ET RAVENSPVRG, DOMINIS IN RAVENSTEIN &c.

Principibus ac Dominis ſuis Clementiſſimis

S. D.

NOn ſum neſcius, Sereniſsimi Principes, modeſtiam in me & pudorem deſiderari poſſe, quod homo privatus SERM V. V. Celſit. Celſit. compellare audeam. Quid enim SERM. SERM. V. V. Celſit. Celſit. debeatur, optimè novi: nec me latére poteſt, quanto vel curarum, vel laborum onere premantur, cum Eaſdem in bonum

 publi-

publicum & salutem patriæ sciam totas esse effusas. Et verò Magnorum nominum, quæ in his terris Numinis vicem immortalis subeunt, Majestatem promiscuis compellationibus profanari, vel magna eorundem molimina rem communem, proximè Deum, unicè sustinentia interturbari, nec pium, nec utile duxerim. Harum rerum consideratio me adeò fecit ancipitem, ut, quamvis diutiùs justo tacuisse videri possim; tamen ne nunc quidem prodire, animumque meum, ut devotissimum, ita gratissimum testari fuerim ausus. Timida quippe admodum res est nimia ergà Dominos devotio, cui nunquam satis fit, cum ipsa, quæ bono animo & recto sensu facit, timeat, nec unquam ferè secura conquiescat. Quod in me & jam olim deprehendi, & indies magis deprehendo, crescente ut judicio, ita quoque ipsâ devotione & obsequendi studio. Cujus summa est, Domini & voluntati & saluti non ire advorsum. Nec unam eandemque semper tenet semitam, quâ ad eammet se perventuram esse credit; Verùm in universum ea omnia, quibus utrique verè & sine

ſine fuco conſuli poſſe arbitratur, ſincerâ mente & prompto animi eligit prolubiò. Et procul omni dubio tacuiſſem ego perpetuò, ſi mihi conſtitiſſet ſilentio me eſſe placiturum; prodijſſem verò longè maturiùs, ſi hoc ipſo SERM. SERM. V. V. Celſit. Celſit. humillimum meum obſequium probari judicaſſem. Tametſi verò neutrum mihi liquidò conſtiterit; incredibilem tamen SERM. SERM. V. V. Celſit. Celſit. Clementiam, quâ inter cæteras virtutes Heroicas ſuprà ſortem mortalium ſunt elevatæ, humillimè appello: quam quò majorem ſcio, eò clementiùs mihi ignotum iri, certiſſimè ſpero, & ſubjectiſſimè oro. Erigit me, SERM. Princeps VVILHELME, Domine Clementiſſime, publica fama, quæ de SERM. V. Celſit. clementia erga literarum cultores orbi increbuit, quâ ut me qq., meaq; ſtudia, quæ ILLM. Domui Saxonicæ jamdiu conſecravi, clementiſſimè proſequi dignetur, quantâ poſſum animi ſubjectione oro & obteſtor. De Tua verò erga me illuſtri Clementia, Sereniſſime Princeps

ERNESTE, Domine Clementissime, post tot illustria experimenta dubitare nunq; potero. Per integros enim hos sex annos tantâ me nihil tale commerentem gratiâ & clementiâ est prosecuta SERM. Vestra Celsit. ut frustrà fuerim, si numerare benefacta instituerim. Recens tamen illud, quo nuper suo simul suffragio locum studijs meis peraptum mihi demandare voluerit, non possum silentio præterire; pro quo eximio beneficio si tantas, quantas magnitudo rei requirit, gratias agere haud possim, mente & animo me SERENMæ V. Celsit. adeoq; toti Domui Saxonicæ esse & fore obstrictissimum, his ipsis chartis testari & volo & debeo. Tametsi verò easmet ipsas longè inferiores duxerim, quàm ut ILLMA nomina vestra ijsdem præfigi debeant; tamen inscribere debui, ne materiam Clementiæ exercendæ SERNM. SERNM. V.V. Celsit. Celsit. inviderem, cum major sine dubio ea judicanda, quæ & munera non adeò magni momenti eâ, quâ par est, fronte admittat. Quapropter

propter Sermi. & Illmi. Principes, Domini Clementissimi, exiguum hoc munusculum sereno vultu accipite, & humillimum Vestrum clientem, qui se totum vobis jamdiu consecravit, ne abijcite; sed si qua in parte vobis, vestrisq; Rebusp. ullâ ratione servire poterit, operam ejus ne respuite. Quod equidem tantâ peto animi subjectione, quantâ unq; possum maximâ. Ego Deum. Ter. Opt. Max. summum omnium rerum moderatorem animitus exposco, ut Serm. Serm. V. V. Celsit. Celsit. plurimorum mortalium bono, Ecclesiæ & Reip. emolumento, Illmæ Sax. Domus, gemmæ illius in toto Imperio Romano, invidendo augmento, diutissimè salvas, sospites & florentes superesse velit, jubeat. Dabam in Illustri Iulia, quæ est Helmstadij ipsis Kalendis Martij, anno CIↃ IↃ C L.

Sermarum Serenmarum

V. V. Cesit. Celsit. subjectissimus cliens.

IOANNES Eichel. Autor.

AD

Ad Lectorem.

Habes hîc, Benevole lector, primam partem; ex qua quoniam intentio & scopus totius opusculi futuri tibi vix innotescere poterit; judicium, quæso, suspendas eò usq́, donec altera & tertia quoq́ fuerint editæ. Ex his demum, quæ mens nostra sit, perspicere poteris. Vale.

CVM

CVM DEO.

DISSERTATIONIS DE INTERPRETATIONE LEGVM

Pars Prima.

Quâ præter vera & genuina ejus principia ex natura rei petita, subjectum item & finem, præcipuè ea explicantur, quæ ad verborum, seu, ut vocant, declarativam interpretationem pertinere videntur.

CAPVT I.

DE NECESSITATE ET DIFFICVLTATE INTERPRETATIONIS.

I.

QVanta sit cùm difficultas pariter, tum necessitas rationis dextrè interpretandi leges, haud facile videtur dictu. Vtramque adeò magnam deprehendimus, ut quænam alteri præponderet, vix constare posse videatur. Sive enim rem ipsam, de qua omnis disputatio futura est, spectes, ob variam ejus mutabilitatem plurimùm difficultatis emergit; sive eos ipsos, qui hanc doctrinam tradendam susceperunt, consideres; tot invenies à se invicem dissidentes opiniones, ut ex omni, quam nonnulli perpetuò obtinere opinantur, incertitudine, hoc solummodò certum elici posse videatur, nihil ferme certi sciri posse. Quæ incertitu-

do tamen non solùm leges ex se non adeò claras obscuriores reddit, varias discrepantes sententias invehit, communes contrà communes parit, ex quibus nonnulli falsò totam artem traducunt; sed & judicum animos haud leviter conturbat, ipsisq; adeò civibus damnum infert non exiguum. Si enim ex eadem lege, vel malè intellecta, vel non benè explicata ob ignorantiam vel captionem diversa ijsdem respondeantur, & secundum illa responsa jus in eosdem reddatur, æqualibus inæqualia tribuuntur, adeoq; non potest non oriri inæqualitas, quæ uti est, secundum philosophum, in justitia; ita mater est justarum querelarū, quæ haud difficulter non leves in Republica turbas parere solent, quibus si non tota evertitur, certè graviter eandem affligi necesse est.

II. Hinc inter causas Rempublicam conservantes rectè refert Aristoteles quoq; bonam judiciorum constitutionem, quæ nunquam bene sese habere potest, nisi legum Oracula, si forte integumentis verborum, vel mentis incrustata sint (quod contingere potest) ritè quasi revelentur, ut æqualiter sine aliqua injustitiæ nota, omnibus casibus emergentibus applicari queant. Quum itaque tantum situm sit in vera, certa, æquabili & constanti legum interpretatione, non abs re putavimus, eam ex suis, quibus innititur, principiis arcessere; cujus usum & necessitatem infra etiam clarius demonstrabimus.

III. Illud hic tantum præmittemus, rem esse insignis difficultatis, cuius causas sat elegantes reddit Aristoteles lib. 5. Eth. Nicom. cap. XIII. cujus locum integrum ascribemus. *Simili modo quoq; cognoscere justa & injusta nullam sapientiam esse existimant; propterea quod difficile minimè est ea intelligere, de quibus leges præscribunt. Verùm hæc justa non sunt, nisi per accidens, sed ea sunt justa, quæ quodammodo aguntur*

guntur & quodammodo distribuuntur. Id autem difficilius est, quam salubria cognoscere; nam illic mel, vinum, veratrum, adustionem, item & incisionem noscere facilius est; quomodo autem ad sanitatem afferendam, cui & quando adhibenda hæc sint, tam est sanè difficile cognoscere, quam medicum esse. Eodem jure, si non majori, de difficultate legum disciplinæ ea pronunciare possum, quæ acerrimi judicij Philosophus de Medicina jam jam protulit. Scire etenim quod ea, quæ legibus continentur, sint justa, si non simpliciter, tamen πῶς seu aliquo modo, ut Aristoteles judicat; scire item, quid iisdem comprehendatur, earumq; sensum aliquo modo assequi, non ita difficile duxerim; sed verum sensum earundem eruere, ita, ut sine metu oppositi certò & indubitatè dicere queas, hunc esse & non alium legis sensum, item hanc esse rationem & non aliam, secundum quam casum propositum rursus sine ulla dubitatione decidere possis, tam arduum credo, quàm esse Iuris Consultum. Hinc etiam arte interpretandi, tanquam proprio munere juris consultum circumscribimus, adeò, ut quicquid is suo quidem habitu possit, id omne in vera & haud opinabili interpretatione situm sit; & quicquid hujus generis sit, & nihil aliud propriè ad jurisconsultum pertinere. Quemadmodum Excellentissimus Dominus D. Hahn in observat. quæ jam sub prælo sunt, opere nunquam satis laudato, eleganter demonstrat. Exemplum egregium præbent nobis præcipuè Codices ll Romanarum, qui interpretationibus veterum jureconsultorum referti sunt doctissimis. Legum sanè, quæ in illis continentur, tanta multitudo non est, quantam multi prædicant; sed si quid molis, quod negandum non est, ibi deprehenditur, non legum copiæ, sed juris consultorum interpretationibus acceptum ferendum est, quæ postea ab Imperatore Iustiniano approbatæ, no-

 stroque

ſtroque imperio receptæ judices noſtros non minus ac aliæ obligant. Sed de hac re dicetur infra côpioſiùs.

IV. Præterea ipſa mutabilitas materiæ, circa quam interpretatio verſatur, non minorem difficultatem parere videtur. Quodcunque enim variùm & inſtabile eſt, in eo haud facile certitudinem, ſeu certi quicquam reperire licet. Atqui materia, circa quam interpretatio verſatur, eſt tale quid. Ergò haud facile in ea quicquam certi reperire licebit. Minorem ſolidè ita oſtendimus. *Quæcunq; in actionibus verſantur & utilia ſunt, ſunt mutabilia. lib. 2. Eth. c. 2.* Quia actionum principia ſunt mutabilia, nempe voluntas & conſilium; quâ ratione verò ſe habent principia, eâdem ſe habent illa, quæ ex illis ſunt. At illa ſunt mutabilia. E.

V. Eleganter demonſtrat hoc Ariſtoteles lib. 1. M. M. c. XI. cujus verba aſcribemus. *Rurſus hinc poterit quiſpiam evidentiùs intueri, quod omnis natura eiusdem eſſentiæ eſt procreatrix, atq; ipſa eſt; veluti ſtirpes & animalia; nam utraq; procreandi vim habent; ex principiis verò producunt, ut arbor ex ſemine, id namq; principium eſt. Quod porrò principia conſequitur, ita habet; ut enim habuerint principia, ita, quæ à principiis ortum ducunt. Perſpicuè autem licet hoc in Geometria magis intueri, ubi cum ponantur principia quædam, qualia fuerint ipſa, talia erunt, quæ ipſa conſequentur. Velut ſi triangulum duobus rectis* reliqua addere ſuperſedebimus, videatur *c. l.* capite ſequenti ita pergit. *Par igitur & ſimilis ratio eſt in homine. Nam cum inſita ſit ei natura vis quædam res producendi, nimirum per principia quædã atq; actiones, quæ ab ipſo proficiſcantur, res edit in lucem.* Paulo poſt. *Manifeſtum igitur eſt actionũ hominẽ eſſe progenitorem: proinde quoniam actiones commutari intuemur, neq; eadem unquam agimus* (eſt hoc principium per experientiam collectum) *ſuntq; actiones ex aliquibus progenitæ principiis, manifeſtum, quandoquidem actiones immutantur, etiam actionum*

immuta-

immutari principia, à quibus sunt, quemadmodum similitudine ostendimus rerum geometricarum. Ex quo loco luculentè patet, & actiones & earum principia, nempe voluntatem & consilia esse mutabilia, & proinde quoq; difficile in illis certum quid inveniendi; quod, ut antea innuimus, difficultatem interpretandi auget. Nec quicquam juvat, quod objici posset, hæc quæ allata sunt, res practicas, non verò leges earumq; interpretationes concernere. Hujusmodi enim objectioni occurrit ipse Aristoteles lib. 10. cap. 10. Eth. in fine, ubi ait; οἱ νόμοι τοῖς πολιτικοῖς ἔργοις ἐοίκασι, leges civilibus operibus similes sunt. Quod si hoc fit, sanè eadem instabilitate laborabunt, quemadmodum actiones practicæ, de quibus eam supra indigitavimus.

VI. Imò lib. 5. Eth. c. XIV. clarè idem ostenditur, & nos infra ex eodem demonstrabimus. Idem fere dicit *lib. 7. Eth. c. 5.* ubi ait: *diversum autem est universale* (sc. à particulari) *alterum in ipso, alterum in re est, ut omni homini sicca conferre & ipsum esse hominem; vel siccum esse, quod huiusmodi est: an vero hoc huiusmodi sit, aut non habet, aut non operatur. Ex his igitur modis incredibile est, quanta differentia futura sit, ut si ita cognoscet quispiam, nihil absurdum sit; sin aliter, mirandum videatur.* Idem dicit quoque *lib. 2. Eth. c. 2. Quæ in actionibus versantur,* ait, *utiliaq; sunt, nullam habent stabilitatem, sicuti neq; salubria diceremus. Cumq; universalis ratio eiusmodi sit, minus quoq; exquisitam particularem esse manifestum est; quippe cum neq; sub artem, neq; sub præceptionem aliquam cadat: debeantq; illi, qui agunt, subinde opportunitatem observare; id quod in medicina & in gubernandi arte conspicitur.* Quod infra de jurisprudentia seu arte interpretandi LL. latissime demonstrabitur. Ex quo hoc efficitur, ut quoniam haud exigua difficultas sit, neque tamen cum levi vel damno vel emolumento Reip. sit conjuncta, ejus etiam non

parvam habendam esse curam. Rem totam huic argumento includamus.

Quodcunq; si benè fit, Reip. valdè prodest, & si malè, insigniter obest, & præterea difficile, ejus maxima cura gerenda est.

Interpretatio LL. est talis. Ergò.

Minorem supra latè confirmavimus.

VII. Quibus præmissis, operam nequaquam malè nos collocaturos esse spero, si accuratiùs aliquantò in materiæ hujus certitudinem, quantùm equidem per vires ingenij licebit, inquiramus. *Quamvis enim*, inquit Aristoteles, *talis præsens hac tractatio sit* (hoc est suâ incertitudine, præsertim si ad individua descendamus, laboret) *tamen enitendum est, ut ei succurramus.*

CAPUT II.

DE MODIS TOLLENDI OBSCURITATEM.

Quo evincitur, interpretationem non fieri (1) casu (2) neq; ratione incerta. neq; (3) probabili sed (4) certâ. Item quomodo certa & probabilis differant.

I.

SUpponimus autem tanquam ab omnibus concessum principium, *interpretis esse, obscuritatem, si qua in legibus occurrit, declaratione suâ tollere.* Obscuritas enim interpretationem requirit, quæ ubi absit, frustrà adhibetur. *Quando enim cognoscenti inculcas, id dissolvis perspicuum offusione obscuritatis, ut* habet Aristoteles 3. Rhet. cap. 3. Et verò tollet eam vel casu & fortuitò, vel ratione aliquâ, eâq; vel certâ

certâ, vel incertâ, vel probabili. Cum plures modi cogitari non possint, necesse est horum aliquo fieri.

II. Si prius dixeris, erit interpres, & non erit interpres; erit talis, quia ita supponitur; non erit talis, quia obscuritatem tollere non potest. hoc argumento: Quicunque non potest obscuritatem tollere, is non est interpres; Major ex principio præmisso dependet. Sed qui casu interpretatur, obscuritatem tollere non potest. E. Minor probatur. Quicunque non assequitur sensum legis, vel rarò, vel nunquam, is obscuritatem tollere non potest. Major ex præmisso principio pendet. Minor probatur. Sed qui casu interpretatur, mentem legis, vel rarò, vel nunquam assequitur. Ergò. Quia quemadmodum se habent principia, sic ea quæ ex illis sunt ut loquitur lib. 2. M. M. cap. x. Atqui casus principium seu causa quædam est omnium incertissima. E. Minor latè probatur 2. phys. c. 5. Text: 57. ἔστι μὲν ἄμφω αἴτια, καθάπερ εἴρηται, κατὰ συμβεβηκὸς, καὶ ἡ τύχη καὶ τὸ αὐτόματον, ἐν τοῖς ἐνδεχομένοις γίνεσθαι μὴ ὡς ἁπλῶς, μήγε ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. *Sunt igitur ambo causæ, quemadmodum dictum est, secundum accidens & fortuna & casus, in iis, quæ possunt fieri, non simpliciter, neq; frequenter.* Ex casu itaque fieri haud posse palam est.

III. Quod si hoc modo fieri haud possit, necesse est fieri ratione aliquâ; Quæ an incerta esse possit, videbimus. Videntur verò eædem difficultates suboriri, quas antea de casu attulimus. Sanè qui incertâ ratione interpretatur, nescit, an sensum teneat, & per conseq. an obscuritatem sustulerit, nec ne. Quamdiu autem hoc ignorat, non dici potest obscuritatem sustulisse, nisi per accidens; cujus actionis causa tamen ipse non est. Quæcunq; verò à nobis proficiscuntur, quorum principium seu causa non in nobis est,

eodem

eodem numero habenda sunt, ac si à nobis facta non essent. Sed quando legem incertâ ratione interpretamur, istius interpretationis, si forte per accidens obscuritatem sustulissemus, caussa & principium non est in nobis. Ignoramus enim, dum ratio incerta est; earum verò actionum, quæ ex ignorantiâ fiunt, non sumus causa. E. Quæ omnia satis accuratè demonstrantur ab Aristotele lib. 3. Eth. Nicom. c. 1. & 2. & 3. Quamdiu itaque incertâ ratione leges interpretari conabimur, nunquam obscuritates tollemus, certè ad minimum non semper, & sic reverâ interpretes non erimus.

IV. Num fortè probabili id fieri debeat, dubitari rectè potest. Nota sunt trita illa, *Interpretem bonum debere esse hariolatorem; mentem disponentium conjecturis esse assequendam*; Quâ fini Interpretes legum Romanarum insignem locorum Topicorum usum commendant. Quæ cum communia sint, & fundamenta futuræ nostræ Artis concernant, non abs re erit ea, quæ de probabili ratione dicuntur, examinare. Afferemus autem ea, quæ ex rei naturâ erui possunt, sepositis illis, quæ communiter agitari solent.

V. Vt autem commodè hoc fieri possit, inquirendum prius, quid per rationem intelligi hic debeat. Quo cognito, etiam quid probabilis, quid certa sit, constabit. Per rationem autem intelligimus cum Aristotele syllogismum quendam; cum omnis ratio aut syllogismus sit, aut in eo fundetur; hoc est, *orationem, in qua quibusdam positis aliud quiddam, quam quæ posita sunt, ex ijs ipsis, quæ posita sint, efficitur* necessariò. Demonstratio autem est, cum ex veris & primis conclusio est, aut certè ejusmodi, quæ à quibusdam primis & veris causam cognitionis sumunt. Dialectica

ctica verò ratiocinatio est, quæ ex probabilibus concluditur. Vera quidem sunt & prima ea, quæ non ab alijs, sed à se ipsis fidem habent. *Neq; enim in initiorum & principiorum, quæ in singulis sunt scientijs, quærenda, quamobrem sint, ratio est, sed omnia per seipsa perspicua esse debent. Probabilia autem sunt, quæ videntur aut omnibus, aut plurimis, aut certe sapientibus; atq; ijs vel omnibus, vel plurimis, vel ijs, quorum spectata est & perspecta sapientia, qui hoc nomine clari & illustres sunt.*

VI. Ex quibus præmissis quid certa & probabilis ratio & sint & differant, satis apparet. Sanè probabilia, quantumvis omnibus videantur, nondum tamen veritatem sine metu oppositi inducent. Quicunque verò aliquid ponit, quod à formidine oppositi non est immune, is, quantum in se est, naturam vel sensum alicujus rei non assequitur; metuere enim cogitur, an non forte alius subsit sensus. Sed qui hunc non assequitur, obscuritatem tollere non potest, & sic non erit interpres. Nam cui non constat, quis sensus sit, is non poterit dicere, hunc esse, & ita legem intelligendam esse; hoc verò est obscuritatem tollere; facere nempe, ut lex, quæ antea intelligi non poterat, hoc modo, & non alio intelligatur. Quamdiu itaque probabili ratione saltem nitimur, de vero sensu affirmare non possumus, dicendo, hunc esse & non alium; quamdiu autem hoc non fit, nunquã reverâ obscuritatem legis tollemus, dicendo, hoc modo eam intelligendam esse & non alio. Hoc autem fieri debere, inde patet. Quoniam si alius sensus legi affingitur, quam reverâ continet, nova obscuritas oritur, & sic pro ea, quæ tollenda erat, nova inducitur. Concludimus itaque firmiter interpretationem Legum, ex probabili saltem ratione fieri nequaquam posse nec debere, si modo per humanam mentẽ certa, aut ad minimum talis, quæ ad certam quam proximè accedit, haberi potest.

 VII. Tra-

VII. Trahit hæc ratio etiam alias secum difficultates, quæ in LL. interpretandis omnino vitari debent. Nempe si hanc sequimur, fieri potest, imò aliter fieri non potest, quam ut lex interdum hoc modo explicetur, interdum alio, & sic vel obligationem legis, quæ tamen præcipuè ejus vis & robur est, eludimus, vel autoritatem ejus deminuimus, vel aliter civibus respondemus, quàm lex vult, quorum nullum sine incommodo aliquo admitti potest, ut infra pluribus dicetur.

IIX. Porrò fieri quoque aliter non potest, si probabiliter, hoc est, ex communibus saltem quibusdā locis, vel argumentis circa interpretationem versemur, quin, si plures eandem legem interpretantur, varient. Nihil enim obest, quin illud, quod tibi probabile videtur, mihi non videatur; imò nihil frequentius videre licet. Hinc tot opiniones de una eademque re nasci solent. Quod si hoc contingit, cujus nam interpretationem sequemur? Num hujus, qui hoc modo interpretatus est? Num illius qui alio modo? sane eligere harum quandam, tam difficile, quàm ipsum interpretari. Qui enim eligit, comparare debet eligibiles res; hæc autem sine accurata cognitione rerum illarum fieri non potest. Hinc utramque benè cognitam habere debet: *Nam qui judicant sine habitu, hoc est, certa cognitione, y rectè non judicant; vel eligunt, nisi fortuitò, inquit Aristoteles lib. 10. cap. ult. Eth.* Si itaque eligimus harum aliquam quæ probabili saltem ratione nititur, eo ipso indicamus, eadem nos laborare incertitudine; si nullam eligimus, & aliam inducimus, tum eadem quæri possunt de ea quoque, num scilicet ex certa ratione sit, num probabili; si hoc, eadem manet difficultas & incertitudo. Quemadmodum videmus in nonnullis legibus, quarum tot habentur & tam discrepantes interpretationes, ut qui eas ca-

sibus emergentibus applicare vult, vix scire possit, quænam ipsi sequenda sit. Quæ res cum finem legum impediat, cavenda erit omni ratione.

IX. Ast possumus, inquis, huic malo occurrere, si dicamus, standum esse majori parti; dicendo, quæ ab omnibus recipitur, ea sequenda est; quam quidem non rejiciendam puto; non verò ex eo, quod probabilis sit; sed hoc ex longè alio principio dependet, ut infra dicetur. Porrò ea, quæ pluribus videtur, plus dubitationis habet. Si enim illi imperiti essent; contra verò paucioribus peritis videretur; & hos inter peritioribus rursus aliter; & deniq; peritissimis diversa placeret, quænam tum sequenda? Vtrinque multæ difficultates exsurgunt. Quod neq; facilis sit electio diversarum sententiarum; quemadmodum nec judicium de ijsdem. Istos enim omnes, quos diximus, eligens cognitione excellere debet: *Nam unusquisq; ea rectè judicat, quæ cognoscit; atq; eorum bonus judex est; unumquamq; igitur rem benè judicat, qui in ea, absolutè verò omnia, qui in omnibus eruditus est.* Aristoteles *lib. 1. Eth. cap. 1.* Qui tamen, si maximè eam, quæ maximè verisimilis videtur, eligat; verisimilis tamen est, nec eos, quos obligat lex, certos reddit; ita secundum LL. esse operandum & non aliter. Tum quoque quod plures errare possunt, quorum exempla plura in promptu, ut patrum error de Antipodibus, de cantu oloris, de duritie Adamantis, quem non aliter, quàm hirci sanguine frangi posse crediderunt. Plura cumulare propter rei evidentiam supersedeo.

X. Error autem plurium ex varijs solet contingere causis, præcipuè si magnæ autoritatis vir aliquid dixit, forte ab alio quoque deceptus, quem reliqui catervatim sequuntur; cui si accedat vel superstitio, vel timiditas non facile dissentiendi, error in infinitum propagatur, adeò

quidem, ut eum, qui de radicato ejusmodi errore dubitare incipiat, haud facilè ferre possimus. Nec tamen multitudo errantium unquam veritatem inducet; quicquid sit, quod probabilitatem aliquam ad hominem parare possit. Quod si hoc contingere possit, etiam illa interpretatio, quæ à pluribus recepta est, propter illam probabilitatem, quam ex multitudine dicentium habet, nondum nos certos reddit de vero sensu legis, quod hoc modo & non aliter sese habeat. Dico propter probabilitatem istam; Nam quod recipiatur & quod recipienda sit ejusmodi, nos infra probabimus, verùm ex longè alio & diverso principio, ut supra jam tum indicavimus.

XI. Eadem ratione eorum quoque, qui scientiâ insignes à nobis judicantur, error contingere potest. Videmus enim eos sibi invicem contradicere, quorum unum necesse est verum dicere, alterum falsum; quod errare est. Aut negandum est peritos sibi nunquam contradicere, quod contra experientiam est. Ergo neq; horum consensus poterit nos certos & indubitatos de sensu legis reddere. Major difficultas est, si dissentiant inter se; difficile enim est, ut sæpè dictum, judicare, quinam verius dixerit. Nec minuitur difficultas, si dicas peritiores esse sequendos; cùm & ab ijs non omnem errorem removere possis & difficulter tibi constare possit, quinam peritiores habendi. Sanè imperitis, qui de ijs judicare non possunt, credendum haud est; neque etiam peritis semper; metuendum enim, ne fortè aut affectu amoris ducti aliquem præferant, qui præferendus non est; aut odio eundem deprimunt, qui præferendus erat. Multo minus ipsis credendum, si se dicant melius intelligere; hoc enim ex φιλαυτία proficiscitur. Idem dicendum de peritissimis, quorum dijudicatio adhuc difficilior.

XII. Pa-

XII. Parum effugij in eo collocatum est, si dicas, quamvis errare possint illi, de quibus jam dixi, neque statim inde sequi, eos semper errare, & nihil veri seu certi dicere. Quod ego nunquam volui, nec ea, quæ præmisi, evincunt. Imò si semper errarent, ne probabile quidem ab ijs sperandum esset, multò minus certum quid. Sed hoc saltem dico, si constet de ijs, quod errare possint, semper hunc metum subesse, num forte in hac lege, num in illa interpretanda erraverint: & quamdiu hic metus manet, tamdiu semper incerti sumus, & per consequens obscuritas legis nondum est sublata. Si dicas, nos, imò ipsos certò scire interdum, hunc esse sensum legis & non alium. Respondeo; aut sciunt id per rationem certam aut probabilem; si hoc, falsum est quod dicunt, se certò scire, nam hæc certitudinem talem non importat; si autem per illam, cessat ratio probabilis, contra quam omnia hactenus allata sunt.

XIII. Cum itaque hactenus demonstratum sit, probabiles interpretum sententias haud quaquam certos nos reddere de sensu legum, quem tamen investigare totius Reip. & civium interest: apparet certæ cuidam viæ insistendum esse, per quam latentes legum voluntates indagare queamus. Nam si de ijs non constat, vel lex elusoria redditur, vel civibus aliqua injuria infertur, cum ad aliud quid, quam lex vult, astringantur. Si enim leges servare justi est, contra, illas non servare, injusti erit. Non servamus verò, quando vel prorsus contemnimus, vel voluntatem ejus quoquo modo non sequimur. Non sequimur verò, quando sensum ejus non assequimur, quod ab iis fit, qui probabili saltem ratione nituntur. Nec juvat quicquam, quod talis non injustè agat, cum desit ipsi consilium violandi legem; ignorat enim sensum ejus, quem scire de-

re debebat; Itaque ignorantiæ suæ causa est, quæ non excusat. Debuisset in eam inquirere certitudinem, quæ quidem per humani ingenii vires in ejusmodi contingenti materia haberi potest. Quoniam itaque tantum situm est in interpretatione legum, haud committendum erit, ut eam à tam incertis & ruinosis principiis dependere dicamus; sed elaborandum erit omnibus viribus, ut eam, quæ quidem haberi potest, adipiscamur certitudinem.

CAPUT III.

DE DIFFICULTATIBUS NONNULLIS, QUÆ CIRCA EA, QUÆ PRÆCEDENTI CAPITE ASSERTA SUNT, ORIRI POSSUNT.

Quo ostenditur, neq; omnem à Iurisprudentia abesse ἀκρίβειαν, neq; tantam, quantam in mathesi, aut speculativis deprehendimus.

I.

NOn nego quidem tantam ἀκρίβειαν hic quæri non posse, quantam deprehendimus vel in mathesi, vel in aliis disciplinis speculativis. Omnem tamen in universum nostræ materiæ abjudicare, & durum & falsum est. Eandem certè puto haberi posse, quæ in Philosophia practica datur, cui nostra, quam de Legum interpretatione tradituri sumus, similis est, ut ait Aristoteles *lib. 10. Eth. c. ult.* De qua quænam dicat Aristoteles, ipsum loquentem audiamus. *Satis verò hac de re dictum existimetur; si perinde explicatum fuerit, ac subjecta materia postulat. Nam exacta tractatio non simili modo in unoquoq; genere exquirenda est; quemadmodum nec in artium opificiis.* Paulò post. *Eodem modo etiam unusquisq; debet ea, quæ de alio dicuntur, admittere. Est enim eruḍi-*

eruditi, eatenus exactam in unoquoq; genere explicationem requirere, quatenus patirei ipsius natura potest. Nam & mathematicum suasionibus utentem approbare; & ab oratore demonstrationes exigere, simile vitium videtur. Idem lib. I. cap. VII. *Oportet autem eorum, quæ ante dicta sunt, meminisse, & exactam tractationem non eodem modo in omnibus requirere, sed in singulis, prout subjecta materia postulat.* Idem lib. II. cap. II. *Illudq; prius apud nos concessum constet; omnem de agendis disputationem figurâ quâdam; non autem exactè pertractari oportere: quemadmodum etiam in principio docuimus; cùm pro subjecta materia rationes esse postulandas, quæq; in actionibus versantur, utiliaq; sunt, nullam habere stabilitatem, sicut neq; salubria diceremus.* Paulò post: *Verùm licet talis præsens hæc tractatio sit, enitendum est tamen ut ei succurramus.*

II. Ex his locis perspicuum est, neq; de omni certitudine esse desperandum, neque esse tantam, quantam in speculativis conspicimus. Quæ causa sit, infrà dicetur. Vidit hoc jam ante Clariss. Conringius Præceptor meus ætatem venerandus, *in introd. ad polit. Aristotelis. cap. 3.* ubi ait. *Tametsi accurata demonstrationes, quales sunt in mathematicis, in politicis nostris ferè desint, nec tamen nulla sunt, nec tam accuratam probandi vim argumentum politicum potest admittere. Certè quales mens humana rationes in civilibus potest invenire, tales adhibitas ab Aristotele licet in hoc opere observare. Vt aut nulli sint verò philosophici de rebus civilibus sermones, aut certè hi Aristotelici sint verè philosophici, adeoq; non ἐξωτερικοὶ, sed ἀκροαματικοί.* Paulò post. *Neq; verò philosophiam profitenti ignoscendum, si ἐνδόξως h. e. ex opinione sumptis utatur argumentis: quando ad manum ἀποδείξεις esse possunt: Aio, quando ἀποδείξεις licet adferre: si enim non liceat, quis prudens illas exigat? Est autem ea materia rerum civilium, ubi τὴν ἀκριβολογίαν τὴν μαθηματικὴν quidem respuat, non tamen omnibus*

demon-

demonstrationibus destituatur. Nec verò licet absit hinc τὸ ἀκριβὲς μαθηματικὸν, non omne tamen abest, proteruusq; omnia sunt ad captum vulgi. Argumenta, quæ pro hac sententia stabilienda ex ipso textu Aristotelico adduci possunt, temporis redimendi ergò lubens omitto. Quæ itaque Clarissimus vir modò de rebus civilibus protulit, optimo jure, dicente Aristotele, de nostra arte asserere possum. Quo posito tertium illud, quo de suprà quærebamus, consequetur, nempe debere eam fieri *certâ ratione*.

III. Vt hoc paulò clarius probatum demus, supponimus, ita interpretationem fieri debere, ut sine formidine oppositi asserere possimus, hoc modo instituendam esse & non alio, huncq; sensum esse legis & non alium. Quæ quidem assertio nisi firmis, proprijs & οἰκείαις nitatur probationibus, admittenda non est. Alias non certitudinem, quam quærimus, sed probabilitatem inducit. Illæ probationes rursus sunt ita comparatæ, ut robur assentiendi vel in seipsis contineant, aut id aliunde adipiscantur. Si prius, principia sunt, quibus per se fidem adhibemus; si posterius, rursus aliæ quærendæ, ex quibus vim probandi sortiuntur. De quibus rursus idem quæritur; donec perveniamus ad prima quædam, à quibus reliqua omnia dependent, ipsæ autem à nullo. Neq; enim interpres Legum adeò incertitudine laborat, ut probationes ejus vel in circulum, vel in infinitum abeant, cum eorum neutrum esse possit. Si enim hoc omni humanæ cognitioni, quæ quidem per disciplinam quandam parari potest, adversatur, quare dura illa sors soli interpretationi, à qua salus Reip. maximam partem pendet, fuerit imposita? Sanè haud ferendæ sunt illorum calumniæ, qui artem nostram nescio cujus vel incertitudinis, confusionis, errorum, aliorumq; minimè convenientium apertè incusare audent, quibus

post

poſt commodè reſpondebitur. Si horum quippiam in nobiliſſimam hanc diſciplinam irrepſit, certè neque ipſis Legibus, neque noſtræ arti, ſed nonnullorum incommodis vel interpretationibus, vel de his qq. haud ſanis opinionibus tribuendum omninò eſt. Neq; ſtatim, quod ab uno vel altero cultore peccatur, eo ipſam diſciplinam infamabimus: à quâ calumniâ quam liberam aliàs fore putamus facultatem? Verùm ut dictum, poſtea illorum opiniones diſcutiemus. Hoc dicimus, non minus nobis deeſſe principia, quemadmodum cæteris, qui diſciplinas ſectantur; Et quæ Ariſtoteles de his tradit, noſtris quoque applicari poſſe prorſus nullì dubitamus. Qua fini nonnulla ejus loca & quidē luculenta afferemus Lib. 1. poſter. analyt. c. 3. ità ait. *Primum enim non omnem ſcientiam demonſtrativam eſſe, ſed principia, quia immediata ſunt, ſine ulla demonſtratione ſciri poſſe exiſtimamus. Id quod hâc ratione perſpici poteſt. Nam ſi neceſſe ſit ſcire ea, quæ antecedunt & ex quibus demonſtratio conſtat, reperiamus autem aliqua immediata, in quibus ſit nobis conſiſtendum; illa certè neceſſe erit ſine ulla demonſtratione cognoſci. Itaq; de hac re ſic cenſeo, aliquam eſſe non modò ſcientiam, ſed & principium quoddam ſcientiæ, quo nos extrema ipſa cognoſcamus. Deinde vel illud fieri non poſſe putamus, ut benè ac perfectè res demonſtrentur, ſi viciſſim ità in orbem probentur. Ex prioribus enim & notioribus conſtat omnis demonſtratio; fieri autem non poteſt, ut res eadem unâ eâdemq; re prior ſit & poſterior, niſi forte id alio atq; alio modo intelligatur.* Paulò poſt. *Iam verò illos, qui ità ſentiunt, in orbem res benè demonſtrari, non modo illo, quod nunc diximus, incommodo urgere poſſumus; ſed hoc etiam, quòd qui ità probant, nihil aliud dicant, quàm id, quod ridiculum eſt; ſi res aliqua ſit, illam ipſam eſſe; quo certè modo facile erit omnia demonſtrare.* Hactenus de demonſtratione quæ fit in circulum; jam ſolidè

quo-

quoq; ostendit processum in infinitum esse admodum absurdum, & per consequens necessariò danda quædam esse prima, in quibus tandem intellectus ultimò acquiescat. Facit hoc aliquot capp. d. libri nempe XVI. XVII. XIIX. XIX. Sed prolixas illas demonstrationes huc transcribere nolo. Brevissimè saltem loca quædam indicabo, quibus concludit non dari progressum talem. *Quod si declarari,* (inquit cap. XIX.) *aliquid definitione posset, aut verò quid sit res, posse oratione cognosci statuatur, necesse est numero quodam certo esse ponantur, quæ in oratione, quid res sit, explicante adhibentur; si quidem infinita nemo possit animo & cogitatione percurere.* Paulò post. *Atqui certo numero sunt, quæ in natura rei continentur & reliqua etiam attributionum genera finita sunt.* Item. *Neq́ igitur sursum versus, neq́ deorsum fieri potest, ut unum de uno sine ullo fine dicatur. Nam de quibus accidentia dicuntur, ea sunt, quæ substantiam declarant; quæ non possunt esse infinita; superiora verò cum inferioribus conferendo, neq́ in ijs, neq́ in accidentibus potest esse in infinitum progressio.* Tandem concludit. *Quare si dicantur per se attributa omnia, hæc autem non sunt infinita, erit tandem primum quoddam caput, in quo consistamus, ideoq́ ultimum etiam aliquid, ubi resistamus. Unde necessariò efficitur, ne illa quidem infinita esse posse, quæ intrà illos terminos continentur; quemadmodum dicunt quidam, de quibus initio hujus disputationis mentionem feci. Etenim si aliqua sint initia, nec demonstratione res omnes probari possunt, nec progredi in infinitum licet; siquidem alterutrum horum ponere, idem volet, ac si dicatur, nullum planè esse intervallum ità continuatum, quin aliquo medio interceptum sit, & quasi interductu aliquo distinctum, sed omnia esse dejuncta & interrupta. Ità enim demonstratur unumquodque ut verbum medium inter extrema immittatur, non autem extrà ipsa extrema collocetur. Quare si ità alia ex alia probando in infinitum:*

finitum progredi libeat, necesse erit, ut inter duo extrema media infinita contineantur. Quod fieri omninò non potest, si modò propria singulorum attributa persequenti necesse sit tum sursum, tum deorsum acquiescere. Quæ ultima verba mirum quantum nobis usum in investigatione causarum ad nostram artem pertinentium præbitura sint.

IV. Quod si jam interpretatio legum non fiat fortuitò, neque ex incerta aliqua ratione, neque etiam probabili saltem, de quibus omnibus suprà actum, necesse erit, ut habeat firmas suas probationes, quibus nitatur illa certa ratio, per quam fieri eam debere suprà diximus. Nam si nulla ratiocinatio, quemadmodum ex superioribus constat, in circulum aut infinitum abit; Interpretis verò LL. talis sit & quidē certa, sequitur, quod nec huic quicquam horum accidat. Hinc ejus etiam propositiones, quibus utitur in interpretandis LL. vel mediatæ sunt, vel immediatæ. Illas veras habet tanquam ex alijs veris deductas; quas si rursus ex alijs confirmavit, de illis quoque quærit; quæ si iterum ex alijs dependent, altius progreditur, donec tandem ad summas ascendat, quæ indemonstrabiles sunt, quibusque per se fidem adhibemus. Secus si progrediatur, nulla ejus erit interpretatio, nisi per accidens fortè aut fortuitò. Tanti verò momenti rem tam ruinoso & omnium imperfectissimo principio superstructum ire, magnæ imbecillitatis puto.

V. Quod si dicas in his propositionibus, quibus LL. interpres utitur, talem subordinationem non reperiri, & per consequens hâc ratione ipsum progredi non posse: Aristotelis verba tibi regerenda sunt, quæ paulo ante ex XIX. lib. I. poster. adduximus, nempe, si hoc concederemus, *nullum planè esset intervallum ità continuatum, quin aliquo medio interceptum & quasi interductu aliquo distinctum,*

sed

sed omnia esse dejuncta & interrupta. Quòd neque de legibus, neque de ratione eas interpretandi asseri unquàm potest. V. gr. dicit Interpres obscuritatem legis ità tollendam esse, ne lex reddatur elusoria; hæc propositio qs. immediata à multis, qui leges interpretantur, recipitur. Quæ si principium est, ut non esse videtur, meritò eidem firmiter inhæremus; si verò non est, reddenda est causa interpreti, quare non reddenda sit elusoria; nam si hanc ignorat, nescit quoque, an rectè interpretetur, an secus; ast ità interpretandæ sunt, ut sciamus nos reverà legis obscuritatem sustulisse. Per certam enim rationem eandem fieri debere jam antè probavimus. Si jam causa reddenda est, fieri id debet per aliquod medium, quod reverâ illam contineat: secus, causa non erit. Neque sufficiet dixisse, hunc vel illum prudentem, imò plures & quidem prudentiores hoc vel illo modo interpretari, vel etiam asserere, ità interpretationem esse instituendam; quo velo multorum error legitur & propagatur. Quod si nullum tale medium inveniri queat, neque tamen illa propositio immediata seu principium sit, nulla erit certitudo, neque tum ipsi constabit, an rectè interpretatus sit necnè. Tale verò medium ponamus esse; quoniam autoritatem legum imminuit, imò ipsum interpretationis finem pervertit; quo duplici medio facilè veritas illius roboratur. Quicquid enim autoritatem legum imminuit, id ab interprete cavendum sedulò; atqui interpretatio, quæ legem ipsam eludit, imminuit legum autoritatem; Ergò. Obligatio enim legis autoritate sustentatur, adeò, ut quò major illa, eò arctior hæc, ut infrâ ex Aristotele dicemus; Illâ verò imminutâ hanc prorsus ruere palàm est. Quantum verò legibus infertur detrimentum, tantum ipsi saluti Reip. hæc enim illis continet, ut paulò post ostendetur. Quapropter

propter omni modo cavenda est ejusmodi interpretatio, quæ legem ipsam eludat. Porrò id inde manifestum est, cum munus interpretis cogitaverimus, nempe ejus esse obscuritatem tollere, non legem tollere, aut eludere. Sed hæc pingui ità minervâ sufficiat indicasse saltem. Infrà enim omnia ex suis principiis & solidis fundamentis sumus deducturi. Patere ex his potest, nequaquam nostram artem, ut multi sibi persuadent, adeò incertitudini esse mancipatam, ut ex se & naturâ suâ eam secum trahat, neque ullius ope aut auxilio ab eadem liberari queat.

CAPVT. IV.

DE QVALITATIBVS NONNVLLIS PRINCIPIORVM INTERPRETATIONIS.

Quo monstratur ea debere esse prima, genuina & domestica, non communia aliis; Item *contrà nonnullorum rationes firmam & stabilem esse rationem interpretandi, & per consequens Iuris disciplinam haud incertam.*

I.

QVæ cum ita sint, inprimis ei, qui certi quid de interpretatione traditurus est, prima genuina, & indemonstrabilia principia inquirenda sunt, ultra quæ probationibus suis non possit ascendere. Quare meritò quoque non nihil de ijs dicendum erit. Sed ut brevitati studeamus, ea huc transcribemus, quæ habet Aristot. lib. 1. poster. cap. 2. *Principia immediata quæ in demonstrationibus accipiuntur, in duo genera distribui possunt. Vnum eorum, quæ quanquam demonstrari non possint, non tamen ita aperta & per se manifesta sunt, ut necesse sit, jam antè cognita esse ei, qui artem*

 aliquam

aliquam discere velit; quas nos positiones (θέσεις) appellamus. Altero genere continentur ea, quæ ita sunt per se ipsa perspicua, ut non possint non esse omnibus multò antè cognita ac perspecta, quam quicquam doceantur, quæ pronunciata (ἀξιώματα) dicuntur. Nam cùm hujus generis res quædam sint, tum verò in illis appellandis, hoc nomine pronunciatorum uti solemus. Sed & positiones rursus in duo genera dividuntur, in hypotheses, quas positiones appellamus, & in definitiones. Ac suppositiones quidem sunt, cùm alterutra pars enunciationis, veluti, aut esse aliquid, aut non esse, sumitur. Definitiones verò sunt, in quibus neutrum accipitur. Quanquam enim definitiones sint positiones, (id enim ab Arithmeticis initio poni solet, unitatem v. gr. id esse, quod per quantitatem dividi non potest) suppositiones tamen esse non possunt. Neq; enim idem est, quid sit unitas, accipere, & esse in rerum natura unitatem ponere. Quoniam autem ob id certò scimus ac credimus, quod perceptam animo habemus ratiocinationem illam, ea demonstratio à nobis paulò ante dicta est; omnis autem ratiocinationis vis posita est in ijs, ex quibus constat, sumptionibus: illud certè necessariò efficitur, hujusmodi principia aut omnia, aut aliqua, non modo antè esse cognoscenda, sed etiam multò magis, quam ea, quæ ex ijs concluduntur, scienda. Paulò post dicit. *Qui igitur demonstratione alicujus rei scientiam assecuturus est, eum necesse est non modò magis nosse principia, & eisdem majorem fidem adhibere quam rei, quæ demonstratur, sed etiam omninò illi nihil debet esse credibilius principijs, atq; adeò nil certius scire debet, quam horum principiorum contraria talia esse, ut si quid ex ijs concludatur, summam inscientiam atq; ignorationem rei efficiat.*

II. Hæc est sententia Aristotelis de Principijs, quæ in qualibet disciplina observari debent, siquidem certi quid exinde nobis polliceri velimus. *Ex τῶν ἀδυνάτων* enim putamus vel ullam certitudinis speciem sperari posse

nisi,

nisi, ex talibus, quæ certissimè posita esse debent, quælibet deducamus. Quod si itaque etiam in nostrâ ratione interpretandi ullam ἀμετάπτωτον γνῶσιν κ' ἐπιστήμην promittere nobis audeamus, necesse est, ut aut omnia, aut aliqua præmittamus, ex quibus quicquid posteà ad usum nostrum accommodabitur, robur & vim suam accipiat. De quibus omnibus & singulis posteà dicendum erit.

III. Neque sufficiet, ut jam audivimus, hæc principia esse probabilia aut vera; sed requiritur, ut sint prima, necessaria & genuina, οἰκεῖα. Ita enim ait Arist. lib. 1. poster. cap. 6. *Quapropter ridendi sunt, qui se putant accommodata ad demonstrationem principia habere cum probabiles ac veras accipiant propositiones. Qualis est illa sophistarum propositio; scire est scientiam habere. Non enim quod probabile est aut minus probabile, principium est: sed quod in eo genere, in quo demonstrationes versantur, primum est, nec omne, quod verum, statim unicuiq; rei demonstrandæ est accommodatum.* Quapropter extra omne dubium positum est, principia illa neque communia esse posse; cum propria esse debeant. *Ex talibus enim*, inquit Aristot. lib. 1. poster. cap. 7. *non possumus rem per se, & quia hujus generis est, scire: sed etiam ex accidente, alioqui non potuissent in aliud quoddam genus transferri. Hoc enim est per se, & non ex accidenti scire: quin aliquid eo modo alteri convenire intelligimus, quo illi convenit, idq; per principia, quæ sunt illi, quia illud ipsum est, propria.*

IV. Ex his dubitare licet, num etiam Loci Topici, quos vocant, quæ sunt communia quædam principia omnibus disciplinarum generibus accommodata, nobis in nostrâ arte ita usui sint, ut ex ijs solis, quemadmodum nonnulli eorum, qui leges Romanas interpretantur, facere solent, omnem rationem interpretandi dependere statuamus. Certè si autoritati fidendum, eâ hâc in re non desti-

destituimur. Paucos ex ijs, qui hoc in genere aliquid dederunt, videas exactos, qui non hæc admittant, aut alia agnoscant. Sed si dicendum quid res est, haud rectè illi facere videntur. Impossibile enim est ex communibus illis principijs solummodo quicquam propriũ demonstrari posse. Qualia enim principia, talia quoque, quæ ex illis sunt. Nos verò nõ quærimus hic aliquid, quod commune multis sit, sed quod propriũ sit interpretis legum; hujus enim certam rationẽ investigamus, quæ si propria est, neq; cum alijs communis, sequitur quod nec principia ejus communia esse possint. Tales verò sunt loci Topici. Id circò tam insignem eorum usum in interpretando non agnoscimus, certè non tantum, ut totam artem interpretandi cum plerisque ijs unicè superstructum eamus.

V. Et omninò cum temperamento quodam accipienda sunt, quæ de his seriò Stephanus de Fredericis Brixiensis ICtus in proleg. de LL. interp. *Qui sine locorum Topicæ*, inquit, *istius cognitione leges interpretari audent, his similes esse videntur, qui absq; navi mare intrare audent, aut absq; securi ligna incidere, sine pedibus ambulare, sine alis volare, neq; pontum neq; navigerum iter agnoscunt.* Negamus enim eos solos sufficere, & nimis mancam fore nostram artem si communibus ejusmodi solùm principijs niteretur.

VI. Neque tamen eò dicta volo, quasi omnem in universum eorum usum rejiciendum putarem; hoc enim esset contra rationem scientis: sed quod ijs solis ars nostra non nitatur; sed habeat ritu aliarum, quoque peculiaria & domestica sua propria, ex quibus quid sibi proprium sit, stabiliri possit. Benè excellentissimus Dn. Præses in not. ad VVesenb. Bachov. Tit. de LL. Num. IV. ita ait. *Quid nĩ enim liceat & huic nobilissimæ prudentiæ, principia seu præcepta propria & communia, controversias, decisiones*

&

& quæcunq; alia, ad solidam ejus ulterioremq; doctrinam pertinentia (quæ in aliis quoque disciplinis sæpè in immensam excrescunt & prostant,) collecta habere, ut quam rectissimè edoceatur? Alias illis locis usus etiam in interpretatione non est denegandus. Sanè quem aliæ disciplinæ, sive practicæ, sive speculativæ ex ijs sibi vendicant, nostræ arti majori jure tribuere possumus. Quod infra, ubi de extensione & restrictione acturi sumus, demonstrabitur luculentius.

VII. Imprimis verò contra nos militare videtur, quod omnis illa materia, nempè Leges, circa quas nostra versatur interpretatio, sit varia, contingens & mutabilis, de qua nihil certi sciri posse videtur. Leges enim ex voluntate & placito hominum dependent; quæ pro ut ipsa est mutabilis, ita leges quoque ipsæ tales erunt. Quod autem ejus est naturæ, de tali non est, quod certitudinem ullam nobis polliceamur. Sed hæc quidem ita dici possunt. Verùm nostram assertionem haud quaquem impugnant, tandum abest, ut eam evertant. Negamus enim sequi, interpretationem esse mutabilem, quamvis leges sint tales. Neq; enim harum, vel illarum nos traditurí sumus interpretationem, neque hujus, aut illius Reipubl., sed omnis: per quam eâdem ratione lex, quæ hodie lata est, & cras rursus abrogatur, interpretanda veniet, ac illa, quæ aliquot seculis permansit: Et contra hæc eâdem ratione, quam illa, quæ annum saltem, aut etiam minus temporis spatium duravit. Hæc enim certa esse semper debet; neq; suam certitudinē amittet, quamvis leges ipsæ non sint stabiles. Eodem modo se res hic habet ac in Medicina, cujus peritus certá curandi rationē tenet, quamvis morbi sint varij & innumeri, itē diuturni, alij verò minus, & si quas alias differentias habent. Idem quoq; videre est in artificibus, quorū regula semper est eadē, quamvis ea, quæ per illā regulantur,

ſint diverſiſſima. Quapropter mutabilitas legum certitudini interpretationis nequaquam officere debet. Neq; verum eſt, quod dictum, omnes leges eſſe mutabiles. Si enim omne jus, quo civitas utitur, ſecundum Ariſtotelem, eſt vel naturale, vel civile; illud verò immobile ſit, ſequetur non omnes eſſe mutabiles. Nolim id addere, leges ferè omnes ex intentione legislatorum ferri, tanquam perpetuò valituras; quamvis poſtea mutatâ vel materiâ de qua loquuntur, vel formâ Reipubl., vel aliâ circumſtantiâ gravi emergente, non amplius obligent.

IIX. Præterea, ſi per τὸ mutabile *non neceſſarium* intelligatur, nec tum verum eſt quod aſſumitur; Non ſequitur enim, quodcunque non eſt neceſſarium, de eo nihil certi ſciri poteſt. Id enim, quod *neceſſario* opponitur, ſimpliciter uno nomine *contingens* dicitur. Et ex mente Ariſtot. lib. 1. prior. cap. XII. dupliciter dicitur. Malo ejus verba aſcribere. τὸ ἐνδέχεσθαι κατὰ δύο λέγεται τρόπους, ἕνα μὲν τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ γίνεσθαι καὶ διαλείπειν τὸ ἀναγκαῖον. *Vocabulum accidenai duobus modis uſurpamus, altero pro eo, quod frequentius fit, & à neceſſario deficit &c. Altero modo accidere id dicimus, quod incertum eſt & indefinitum, quodque ita & ſecus evenire poteſt.* Hoc eſt, ut Scholaſtici DD. loquuntur. Quod ad utrumque oppoſitorum ſe æqualiter habet. Cujuſmodi ſunt hæc, *animans incedere, aut dum incedit, terram concuti*, (& uno verbo dicam) quicquid fit forte fortuna. Eorum enim omnium nihil in hanc partem magis eſt propenſum, quam in contrariam. Iam ſi contingens intelligatur priori modo, negamus conſequentiam; de eo enim omninò certum ſciri poteſt, ipſius Ariſtotelis teſtimonio, quod aſcribemus. Ita enim in eodem cap. allegat. pergit. *Ac de his ita incertis, neque ſcientia conſtitui poteſt, nec demonſtratio, quia medium inordinatum &*

incom-

inconstans est. De his autem, quæ natura propensa sunt in alteram partem, potest constitui; quin disputationes ferè omnes ac commentationes de his sunt, quæ ita accidunt. Idem docet lib. 1. poster. cap. 15. Omnis autem demonstratio ex altero illorum (intelligit autem necessarium, aut id, quod contingens est ut plurimum) constat. *Nam omnis, quâ quippiam demonstratur, probatio, constat propositionibus omninò necessariis, aut quæ plerumq; ita sunt. Ac siquidem necessariæ sunt sumptiones, necessaria est complexio; sin ex iis sunt, quæ plerumque eveniunt, talis etiam futura est conclusio.* Si verò contingens intelligatur illud ἀόριστον καὶ τὸ οὕτως καὶ μὴ οὕτως δυνατὸν h. e. incertum illud, quod ad utrumque oppositorum æqualiter sese habet, facile consequentiam concedemus; sed negamus minorem. Tales enim leges, si concederemus esse, (quod tamen neque ipsum possumus dare) tamen negamus id de interpretatione, quam semper certam esse debere supra diximus. Imo patet ex lib. 1. poster. cap. 16. etiam horum contingentium ut plurimum dari principia, ex quibus omnino certi quid, quantum quidem rei natura patitur, deduci potest. *Deniq;, ait, principiorum alia sunt necessaria; alia in rebus contingentibus cernuntur.*

. IV. Neq; præterea quicquam nobis officient varia accidentia, quæ in hac materia sese catervatim ostendunt. Illorum enim ratio in scientiis ipsis non habetur, sed ea, quæ per se insunt, universalia considerantur, non autem illa, quæ per accidens subjecto inesse possunt, vel insunt. Cum enim hic consideremus res, pro ut sunt, secundum essentiam ipsarum easdem ponderandas esse patet, & secundum ea, quæ proximè per se ex ijsdem fluunt. Ast cum per accidentia neque sint, quod sunt, neque ex iis per se & proximè dependeant, palam est, eorum nullam ha-

beri rationem. Quapropter licet infinita numero in nostra materia occurrere possint, ea tamen illam certitudinem, quam materia subjecta pati potest, non impedient. Itaque dicemus eorum curam nos prorsus abjecturos, eorumque dijudicationem prudenti executori h. e. judici relicturos. Monebimus tamen semper, quando ex natura rei plura dici non possunt, arbitrio judicis rem esse relinquendam. Hoc enim non exiguum nostræ artis caput erit. De illis sic loquitur Aristot. lib. 1. poster. cap. 6. *Accidentia autem, quæ non ita insunt per se, quemadmodum supra definivimus, non possunt sub scientiam demonstrativam cadere, & quod in iis conclusio necessaria esse non potest: Nam quod accidens est, potest non inesse: ego enim sic accipio hoc loco nomen accidentis.* Firmiter itaque statuimus omninò certitudinem in nostra materia dari posse, quantum quidem per rei naturam & materiam subjectam fieri potest; Majorem enim exigere, quam revera haberi potest, esset imprudentis.

CAPVT. V.

DE NONNVLLIS, QVÆ AD VBERIOREM PRINCIPIORVM COGNITIONEM SPECTARE VIDENTVR.

Quo concluditur, è re quidem esse, tum docentium, tum discentium omnia principia præmitti, sed id esse operosum, difficile, & forte acutissimorum Philosophorum exemplo, non necessarium.

I.

REmotis nonnullis difficultatibus, quæ nonnihil negotij facessere nobis posse videbantur, ad principia nostra

ſtra redimus, in quibqs ſi non omne, certè plurimum ſitum eſſe nobis perſuaſum habemus. Videtur enim (inquit Ariſtot. lib. 1. Ethic. c. 8.) *Principium plus quam dimidium totius eſſe; compluraq; eorum, quæ in quæſtionem veniunt, per ipſum manifeſtantur.* [1] Quapropter eorum inprimis LL. interpres accuratam tum curam, tum cognitionem habere debet. Secus haud fieri poſſe putamus; quin non ſæpiſſimè labatur, & ſine ratione plurima dicat. Aut enim in orbem probationes ſuas circumaget, aut in infinitum progredietur, aut ſine ulla ratione legum explicationem ſibi arrogabit; quæ omnia quam longiſſimè ab interprete abeſſe debere ſupra eſt evictum. Quemadmodum verò res, circa quas verſatur, ſunt contingentes; ſic etiam principia inveſtiganda contingentia, ut ſupra quoque ex Ariſtotele diximus. Quæ tamen nihilominus propria, ſeu domeſtica, prima, & vera eſſe oportet: quamvis neceſſaria haud ſint, ita ut nunquam aliter ſeſe habere poſſint; ſed quæ habeant ſe uno modo, ut plurimum, licet non omnem mutabilitatem excludant. Quo ipſo, certitudo quidem minuitur, ſed non tollitur, ut ſuprà latè dictum eſt. Quin verò axiomata, hypotheſes & definitiones in noſtra materia dari poſſint, imò dentur, res eſt omni dubio carens. Ex quibus ſi argumentamur ſecundum verum concludendi modum, hoc eſt ſyllogiſticè, quid prohibet, quo minus eam, quæ haberi quidem poteſt, conſequamur certitudinem, quæ in alijs diſciplinis paratur, quæ ejusdem ſunt mutabilitatis?

II. Et verò, ſi ex illis omnis conſtat ratiocinatio, præmittenda venient, vel omnia, vel aliqua; in hoc enim conveniunt Philoſophi. Si fieri poſſet, è re diſcentium & docentium eſſet, omnia præmitti; quod ut operoſum & difficile, ita à nemine hactenus Philoſophorum, qui aliquid de-

mon-

monstrativi nobis reliquerunt, factitatum novimus. Sanè Euclides (non Megarensis ille, Princeps sectæ Megaricæ; sed qui floruit tempore Ptolomæi primi, qui Ægypto, Olympiade 115, & ante Christum natum anno 319. cæpit imperare) in Elementis suis Geometricis, opere acutissimo, quædam præmisit, tum definitiones, tum postulata, tum axiomata; omnia autem eum ante posuisse, neq; nobis persuadere possumus, neq; Mathematici diffitentur, & ex ipsis editionibus clarū est. Christophorus Clavius Bambergensis: *in proleg. Geom. ad Elementa Euclid. sub Tit. Quænam principia sint apud Mathem. sub finem ita ait; Porro an hujusmodi Principiis tradendis hic ordo ab Euclide servatur, ut in ipso quidem introitu scientiæ proponat Principia toti Geometriæ communia, in aliis autem deinde libris, ubi res postulat, ea exponat principia, quæ propriè & peculiari quadam ratione ad materiam illorum subjectam spectaret. Neque verò omnia principia Geometrica ab Euclide in his Elementis sunt explicata, sed multa reliquit lectori disquirenda.* Nolim loca, quæ sint permulta ex Federico Commandino Urbinate & Iohanne Dee Londinensi, & aliis peritis adducere. Ex ipsa inspectione editionis Clavianæ sæpius videmus principia nonnulla in fronte operis omissa, iis locis interseri, ubi sine novis principiis demonstratio perfici non potest.

III. Res est tam evidens, ut uberiori probatione non egeat. Iam verò magnus Aristoteles, qui primus omnium modum demonstrandi invenit, hanc Methodum non servavit. Non enim in ullo opere τῶν ἀκροαματικῶν, quæ nobis quidem per injuriam temporum ad huc reliqua sunt, tot principia præmisit, quot ipsi in disciplina aliqua opus fuit: sed ubique, si res ita tulit, ea inseruit. Itaq; haud negamus quidem utilius esse, si vel omnia, vel major saltem pars ante locarentur: sed vel exemplo acutissimo-

ſimorum Philoſophorum, qui duo præ reliquis omnibus laude certitudinis excelluerunt, diſcimus, aut id non ſimpliciter eſſe neceſſarium, aut nimis operoſum. Auſus moderni illius, qui id non ſolùm in ſpeculativis, ſed etiam practicis tentavit, hactenus illo fructu, quem multis eſt pollicitus, caruerunt. Quod ſi enim ab ijs, qui majorem certitudinem habere potuerunt, non ſit factum; ſi nos id non præſtamus, haud reprehendendi erimus. Tot igitur præmittemus, quot ſufficere viſa fuerint, reliqua ſuis locis inſperſuri.

CAPUT VI.

DE SUBJECTO INTERPRETATIONIS.

Quo monſtratur (1) legum neceſſitas (2) earundem autoritas tum rationibus, tum teſtimonijs, & (3) periculoſa earum mutatio & (4) deniq; principij inſtar confirmatur: *Omne id ſedulo interpreti eſſe cavendum, quod obligationem legis ullo modo infirmam reddere valet.*

I.

HActenus de principijs. Sequitur ut de ſubjecto noſtro quoque diſpiciamus, quod *leges* ponimus. Quælibet enim ars & diſciplina ſubjectum ſuum tamquam cognitum & demonſtratum ſupponit; cujus ut accurata cognitio à quolibet, qui circa id verſatur, non requiritur; ità nec omninò id ignorari debet. Verùm tantam ejus meritò à quolibet exigimus notitiam, quantam ſufficere poſſe putamus ad finem illius artis, ſeu diſciplinæ, circa quam quilibet eſt occupatus. Imitabimur hac in re Ariſtotelem lib. 1. Ethic. c. 7, ubi ait. *Oportet autem eorum, quæ ante dicta*

ſunt,

sunt meminisse, & exactam tractationem non eodem modo in omnibus requirere, sed in singulis, prout subjecta materia requirit. Atque id eatenus, quatenus arti unicuiq; convenit. Faber enim & Geometra diverso modo rectum angulum utriq; considerant; ille quatenus solummodo ad opus utile est: hic, cum veritatis speculator sit, quid & quale sit, indagat. Eodem modo in alijs quoque faciendum est; ne plura ornamenta extrinsecus, quam ipsum opus evadant.

II. Ita eâdem ratione hæc Aristotelis verba ad nostrum propositum accommodare possumus. Cum enim & legislator & interpres, & Philosophus circa leges versetur, palam est peculiarem, quorumlibet horum esse modum considerandi. Aliter sanè Philosophus, aliter Legislator, aliter interpres circa eas versatur. Hic enim circa leges versatur, interpretando, seu claras & perspicuas reddendo. Hinc *de alijs* (utor Clarissimi Hornei verbis, lib. 4. c. 3. Instit. Ethic.) *agere non potest, quatenus talis est, nisi quæ jam lata sunt. Vnde quicquid tractat, id omne eò refertur, ut ostendat, ita aut legibus, aut rescripto Principis, aut jure statutario vel simili cautum esse, idque ideò, quia aut expresse sic scriptum illic inveniatur, aut ex ijs, quæ scripta sunt, evidenter hoc deduci possit.* Paulò post ita pergit. *At longè altioris indaginis est, quod Philosophus tractat: Primam enim originem omnium legum ostendere debet, leges civiles item in legem naturæ, quantum fieri potest, & hanc in divinam reducere. Imò rationem condendarum legum explicare. Prius facit Ethicus; sicut enim huic exponendum est, quæ sit natura justitiæ, ita etiam quid & quotuplex in universum jus sit, unde justitia æstimetur. Posterius autem ad Politicum pertinet: quæ enim leges in unaquaq; Reipublicæ forma salutares sint, quæ noxiæ, quantâ cura lex semel lata conservanda sit, & si qua abroganda, quantâ cautione id fieri oporteat, ejus tantùm est, & illius*

lius habitu faciunt, qui Reipubl. præsunt. Breviter itaq; quæ interpreti sufficere posse videbuntur, de natura legum præmittemus, sine quorum cognitione progredi haud posse nobis persuademus.

III. Ac initio quidem supponendum est, homines primitus boni alicujus causâ in civitates coijsse. *Omnis enim ars, omnisq; dicendi via, actio item atque electio bonum quiddam expetere videtur.* Quod si hoc omnibus artibus & actionibus commune est, ut bonum aliquod quærant, seu certum finem intendant, quis de societate civili id asserere dubitabit? *Sanè vita proposito fine carens, insignis stultitiæ argumentum est,* inquit Aristoteles. *lib. 1. Eud. c. 2.* Quapropter indubitate tamquam immotum principium ponimus, omnem civilem societatem boni alicujus causa esse. Quodlibet enim brutorum genus, ad sui conservationem tendit; quid causæ fiet, quod homo non in eandem omni ratione feratur? Cum verò id bonum solus sibi relictus nemo consequi possit, necesse est, ut se cum ijs conjungat, quorum ope id effici posse confidit. Tales autem rursus homines erunt; cum quibus conjunctus quæ sibi desunt, parare potest. Hinc naturali instinctu ad conjunctionem illam, hoc est, societatem cum alijs colendam proclivis.

IV. Imò natura inter universum genus humanum quandam societatem constituit; quod vel videre est ex exemplo reliquorum animantium omnium, quæ speciei suæ conservationi intentè student, ubicunque terrarum tandem inveniantur. Pateret hic latissimus campus id demonstrandi de singulis; sed memores instituti non necessaria haud afferemus. Deinde inter quoscunq; natura introduxit indigentiam, inter eos quoque vult esse societatem. Quia per hanc illa suppletur; ut constat ex Aristotele lib. 1. polit. 2. *Civitas enim totius sufficientiæ finem habet,*

 consti-

constituta quidem gratiâ vivendi, existens autem benè vivendi gratiâ. Quapropter omnis civitas naturâ est. &c. Atqui inter omnes homines natura quandam indigentiam introduxit; Ergò. Minor facilè probatur. Nulla enim regio est, quæ instructa sit omnibus, quæ tùm ad vivere, tùm ad benè vivere sint necessaria. Quæ assertio ex Geographicis descriptionibus firmissimè probari potest. Sane diversitas Zonarum, haud leve huic pondus addit. Quæ enim torrida fert, frigida recusat; quarum contrà hæc fæcunda, harum illa est impatiens. Imò ejusdem Zonæ partes diversa progignunt, quod ne latè abeamus, Germania nostra satis testatur. Alibi enim frugum copia, alibi vini, alibi alterius rei proventus habetur, cujus alibi summa inopia apparet. Quod si quis huic meæ sententiæ fidem addere non audebit, is Geographorum monumenta, ex quibus id, quod diximus, plus satis deprehendet, velim consulat. Firmiter itaq; secundum ductum Aristotelis, argumentamur.

Qui singuli non habent necessaria tùm ad vivendum, tùm ad benè vivendum, conjunctim autem omnia habent, ij, si conjunguntur, servantur, seu eos societas conservat.

Atqui omnium nationum & regionum seorsim consideratarum incolæ non habent, quæ ad vivendum, aut benè vivendum sunt necessaria, omnes autem simul habent omnia. Ergo.

V. Cum major suâ luce radiet; minorem facilè illustrabimus. Quod enim seorsim sumptæ regiones non omnia habeant, suprà probatum est; quod autem simul sumptæ omnia habeant, indè patet, quia si aliquid deesset omnibus, deesset aliquid humano generi, & sic quædam naturæ esset imperfectio; sed absurdum est hoc dicere, cum Deus omnia, quæ humano generi necessaria sint, sufficien-

ter

ter dederit. Iam posito hoc sequetur, omnium illarum regionum incolas, hoc est, omnes homines debere sibi invicem succurrere, & conservationi studere; quod fit, dum illos, eorumque substantiam volumus esse salvam, alias perrumperetur repagulum illud conjunctionis, quod natura inter nos firmavit, & sic aliquid contrà naturam fieret, quod à nemine audendum, qui quidem naturam ducem sequatur. Et verò hoc amicitia est, aut quiddam ei maximè affine. Nam, inquit Aristoteles, lib. 8. Eth. cap. 11. *Quatenus inter se commercium habent, eatenus inter ipsos amicitia est*. Cum his, quæ hactenus diximus, egregriè conveniunt, quæ dicit Iurisconsultus Romanus Florentinus, *l. 3. ff. de I. & I. Cum inter nos cognationem quandam natura constituit, consequens est, hominem homini insidiari nefas esse.*

VI. Verùm hi ità convenire non possunt, quemadmodum illi, qui arctiori aliquâ adhuc inter se sunt coarctati societate. In civitates itaq; coierunt, ut indigentiam illam, quam natura ad societatem colendam introduxit, supplerent. Harum verò finis non solum est vita simpliciter, sed etiam beata, quæ secundum saniores omnes consistit in actione Virtutis; quod quidem tamquam alibi demonstratum, hic supponimus. Hinc quælibet pars civitatis astricta est, ut aliquid in medium conferat, quo hunc finem civitas consequatur. Consecuta autem tùm censenda est, cum vel omnes, vel major pars eum fuerint adepti. Hinc necessariò sequetur, omnes partes civitatis, hoc est cives virtuti debere operam dare, hoc est virtute esse instructos. Evadimus autem tales, vel naturâ, vel consuetudine, vel doctrinâ. Sed non naturâ, ut Aristot. l. 10. Eth. c. ult. probat, neque consuetudine simpliciter, nisi (inquit l. c.) *sub talibus legibus fuerit educatus; nam temperanter, toleranterq; vivere plerisq; præsertim adolescentibus jucundum non est. Quo-*

circa est opus, ut & educatio & studia constituta legibus sint; ità enim fiet, ut consuetudine tractata, molesta esse desinant. Non satis tamen fortasse est, si quando homines sunt adolescentes, ut educationem rectam & curam consequantur. Sed cum in viros quoq; adulti, debeant ipsa hæc exercere atq; assuescere, adhæc etiam & omninò ad omnem vitam opus legibus est. Plerique enim necessitati potius, quàm rationi & mulctis quam honestati obediunt. Ita summa necessitas legum patet; quod nos brevitatis causa huic includimus argumento.

Sine quocunque civitas aliqua finem suum non potest consequi, illud est necessarium. Atq; sine LL. (positâ nim. malitiâ hominum) non potest. Ergò.

Minor jam probata est, & porrò ità ostenditur.

Quodcunque cogit cives, seu per diuturnam consuetudinem, ad actiones virtutis traducit, id si non adsit, civitas finem suum assequi non potest. Atque leges sunt tale. Ergò. Majoris ratio manifesta est, Actio enim Virtutis est beatitudo, seu finis civitatis. Minor rursus patet per experientiam. *Civilis facultas,* inquit Aristoteles *l. 1, Eth. c. 10. magnam diligentiam adhibet, ut civitates quodammodo afficiat, bonosq; & ad honesta agenda idoneos reddat.* Repetit. *lib. 2. c. 1. Huic rei attestatur id, quod in civitatibus fieri consueverit, legumlatores enim cives assuefaciendo bonos reddunt, hæcq; est unius cujusq; legumlatoris voluntas; qui verò id benè non efficiunt, peccant.* Lib. 5. cap. 3. Eth, ita ait. *Quin etiam lex præcipit & id, quod fortis viri opus est, ut non deserere ordines, non fugere, non abjicere arma, & id, quod est temperantis, ut non committere adulterium, non contumeliosè se gerere; & id quod est mansueti, ut non verberare, non maledicere, simili modo quoque secundum alias virtutes & vitià alia jubet, alia prohibet.* Eodem lib. cap. 5. *Nam Lex secundum unumquamque virtutem vivere jubet, secundumq; unumquodq; vitium prohibet; ef-*

fectri-

fectricia autem totius virtutis ea sunt legitima, quæ legibus ad publicam institutionem sunt sancita.

VII. Nihil aliud quoque Divinus Plato vult de LL. dial. 1. *Legislator*, inquit, *primò prudentiam, secundò Temperantiam, tertiò justitiam; quartò fortitudinem respicere debet; post hæc alia mandata, vel hæc respicientia ipsis civibus imperanda, ità ut bona humana ad divina, divina ad principem intelligentiam referant, & sic nuptias inter se contrahant; deindè in liberis gubernandis & educandis, posteà in iracundiis & timoribus, & perturbationibus; deindè possessiones & sumptus civium, commercia & obedientibus honorem tribuat, inobedientibus pœnam.* Marsilius Ficinus *in Plat. de leg. dialog. 1. Legum conditoris totum studium versari debet circa voluptates & dolores, ut duo hæc quasi bruta freno non careant.* Circa has verò versatur virtus, ut ex lib. 2. Eth. Aristot. constat. Ib. dialog. 3. ait. *Legum autor ità animi sanitatem spectat, ut Medicus corporis sanitatem.*

IIX. Hinc fit etiam, quoniam cives nolint spontè operationes virtutis edere, sed contrà nitantur, quod Legislatores dolorem addant. Elegantissimus locus est hac de re, lib. 10. Ethic. cap. ult. *Illis, qui non parent, suntq; naturâ ineptiores, castigationes & pœnas irrogant, qui autem insanabiles, prorsus exterminant. Probum enim, & quod ad honestatem vivit, rationi esse obaditurum. Pravum autem voluptatem appetentem, non secus ac jumentum dolore puniri. Unde etiam tales dolores exhiberi oportere ajunt, qui voluptatibus, quæ amantur, maximè adversentur.* Idem repetit lib. 1. Eud. c. 3. In eandem sententiam pulchrè scribit Seneca, lib. 1. de ira cap. 5. postquã accommodatum exemplum de Medico præmiserat, ita subdit; *Ita legum præsidem, civitatisq; Rectorem decet, quamdiu potest, verbis & his mollioribus, ingenia curare, ut facienda suadeat, cupiditatemq; honesti & æqui conciliet*

siliet animis, faciatq; vitiorum odium, pretium virtutum, transeat ad tristiorem orationem, quâ moneat adhuc & exprobet, novissimè ad pœnas, & ad has adhuc leves & revocabiles decurrat: ultima supplicia sceleribus ultimis ponat, ut nemo pereat, nisi quem perire etiam pereuntis intersit. Ita videmus vi quâdam eos, qui spontè ad finem summum civitatis non anhelant, à legibus, earumque administratoribus adduci. Hinc videmus nullam prorsus civitatem sine legibus consistere posse; quod si hoc, manifestum leges etiam fundamentum Reipublicæ esse; quibus convulsis & ipsam everti necesse est. Nam destructo fine societatis, ipsa cessat; cessante operatione virtutis, finis cessat. Plerosq; enim, ut dixit Aristoteles, *magis timori & necessitati quàm pudori obædire*, & nemo in dubium vocat, & experientia satis testatur. Quapropter quantum decedit autoritati legum, tantumdem quoque saluti Reipublicæ detrahi credendum est. Proinde quantum refert Rempubl. esse salvam, tantundem intererit quoq; leges esse, earumq; sartam tectam autoritatem conservari.

IX. Rectissimè enim inquit Demostenes in orat. advers. Timocratem, statim post initium. *τῶν γὰρ ὄντων ἀγαθῶν τῇ πόλει, καὶ τὸ δημοκρατουμένην. καὶ ἐλευθέραν εἶναι, ὡς ἄλλοτι τῶν νόμων αἰτιώτερόν ἐστιν, οὐδ' ἂν ἕνα εἰπεῖν οἶμαι.* Quem locum ità reddidit Hieronymus VVolffius. Si quidem ad felicitatem Reipublicæ, & populi libertatem, in nulla re alia plus esse commodi, quàm in legum autoritate, id ego neminem dicturum puto. Item in orat: adversus Aristogiton. *ἅπας ὁ τῶν ἀνθρώπων βίος, κἂν μεγάλην πόλιν οἰκῶσι, κἂν μικρὰν, φύσει καὶ νόμοις διοικεῖται.* Paucis interjectis ait. *ἐπεὶ λυθέντων γε τούτων* (intelligit autem leges (*νόμους*), ut ex præcedentibus constat) *καὶ ἑκάστῳ δοθείσης ἐξουσίας, ὅτι βούλεται, ποιεῖν οὐ μόνον ἡ πολιτεία οἴχεται, ἀλλ' οὐδ' ὁ βίος ἡμῶν τὸ τῶν θηρίων*

οὐδὲ

ὐδὲ ἂν διενέγκοι. Et rurſus paulò poſt. Ἐπειδὴ οἱ νόμοι μετὰ τοὺς θεοὺς ὁμολογοῦνται σώζειν τὴν πόλιν; δεῖ πάντας ὑμᾶς τὸν αὐτὸν τρόπον, ὥσπερ εἰ ἐκάθησθε, ἐρανὸν πληρωταὶ, τὸν μὲν πειθόμενον τούτοις, ὡς φέροντα τὴν τῆς σωτηρίας φορὰν πλήρη τῇ πατρίδι, τιμᾶν καὶ ἐπαινεῖν; τὸν δ' ἀπειθοῦντα κολάζειν. Ex quibus omnibus ſatis conſtare arbitror, quantum in legibus ſitum ſit; nempè tantundem, quantum in ipſius Reipubl. ſalute. Antea enim firmiter demonſtratum eſt, has eſſe fundamentum & ſalutem ejus. Poſſent hic innumera tùm hiſtoricorum, tùm Philoſophorum, tùm Oratorum, tùm Poëtarum loca conglomerari, quæ idem teſtarentur, ſed rei evidenti tanto apparatu opus non eſt: præſertim cum id ingenioſiſſimè jam tum factum ſit ab Ampliſſimo Præſide in tractatu de delictis cap. II. & VI. qui adhuc prælo ſubjectus, nec integer abſolutus mihi, dum hæc ſcribo, eſt communicatus à Clariſſimo Domino Præceptore æternùm Venerando. Cujus non poſſum, quin quædam loca aſcribam; reliqua lector ex ipſo tractatu haurire poterit. Num. 8. cap. 2. ità ait; *Neque tamen leges de rebus tantùm externis, quas circa verſatur juſtitia commutativa, præſcripſerunt, ne quis earum injuſtus exiſtat uſurpator, ſed ut etiam reliquis virtutibus congruenter vivatur. Nihil verò tam ſtudioſum in omnibus rebus invenitur, quàm legum autoritas, quæ & divinas & humanas res benè diſponit, omnemq; iniquitatem expellit. Verba ſunt Imperatoris Iuſtiniani in l. 1. §. 1. C. de Vet. Iure Enucl. Et legum hunc eſſe ſcopum, ut cives in officio contineantur, & ad virtutem vi quadam civili compellantur, præclarè demonſtrat Plato* lib. 12. de legib. Paulò poſt ita ait num. nempe 24. *Atq; his convenienter Imperatores Valentinianus & Valens in l. un. C. de emend. propinq. In corrigendis minoribus, ajunt, pro qualitate delicti ſenioribus propinquis tribuimus poteſtatem, ut quos vel vita decora domeſtica laudis exem-*

plum

pla non provocant, saltem correctionis medicina compellat. Hæc ex capite II. transtulisse sufficiat. Vnum & alterum locum ex capite VI. ejusdem tractatus transscribam, reliqua benevolus lector ex ipso fonte petet. Postquam ea, quæ nos ex Philosopho attulimus, adduxisset, ita subjicit. *Hæc Philosophus. Sed idem quoq; profitentur auctores LL. Romanarum. Nam in d. l. 1. §. 1. de Iustit. & Iur. ait Vlpianus: justitiam colimus, justi & injusti notitiam profitemur. Declarat autem se loqui non tantum de particulari justitia, sed & de generali, quæ respicit justum legitimum (ut Aristoteles loquitur loc. supr. citat.) unde subjungit ICtus; æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes, bonos non solùm metu pœnarum, sed & præmiorum exhortatione efficere cupientes. Et l. 10. §. 1. eod. tit. dicitur; juris præcepta sunt hæc; honestè vivere, neminem lædere, suum cuiq; tribuere. Ex quibus primum certè latius patet, quàm quæ particularis sunt justitiæ, &c.* hæc ibi. Videantur ibidem plura præclarè dicta.

X. Posito verò & demonstrato tantam legum esse necessitatem, adeò ut cardo & salus Reipublicæ in ijs vertatur, quis non videt eò summo studio elaborandum esse, ut earum maxima & quasi divina autoritas quædam sit, adeò, ut ea civibus de earum tùm firmitate, tùm justitia afferatur opinio, illas summam habere vim obligandi, adeò, ut qui contrà eas agat, aut se ex earum obligatione, ullo modo eximere tentet, contra Deum immortalem & Numen ipsum, si quod agnoscat, stare videatur. Ejus enim, in quo salus Reipublicæ consistit, summam & quasi divinam obligationem esse, & perspicuum & æquũ esse omnes concedunt. Quò major enim est obligatio, eo minus leges violantur; quo autem rarius violantur, eò firmius ipsa Reipublicæ fundamenta perstant: quo uno salutem ejus unicè metimur.

XI. Non

XI. Non libet hac de re omnium sapientum oracula consulere; sufficiat nobis potiorum sententias adducere. Aristoteles, l. 2. polit. c. 8. in fine ità ait. *Alia autem modo considerantibus cavendum videtur esse maximè, cum enim utilitatis quidem accessio parva sit, assuescere verò, faciliter leges mutare improbandum, constat errata quædam esse toleranda, & Legumlatorum, & Magistratuum; non enim tantum proderit, qui corrigere perget, quantum nocebit assuefactio superioribus non parendi. Mendax & de artibus exemplum. Neq; enim simile est mutare artem, atq; legem. Nam lex nullam vim habet, ut ipsi pareatur, nisi ex more: mos autem non fit, nisi temporis longitudine. Quare faciliter mutare leges ex præsentibus in alias novas, infirmam facere est vim legis.* Idem, *lib. 5. Polit. cap. 7. ita porrò ait. Maximè verò latent optimatum gubernationes, paulatim sese dissolventes, quod quidem dictum est prius universaliter de omnibus Rebuspublicis, idque inter causas mutationis minuta parvitas (κατὰ τὸ μικρὸν) appellatur. Quoniam enim omittunt aliquid ex his, quæ ad Rempubl. pertinent, ac deinde allud paulo majus, facilius movent, quousq; moveant totam Reipublicæ formam. Quod in Thuriorum accidit Republ. Cum enim legem haberent, per quam non nisi intermisso quinquennio præturam gerere licebat, juniores quidam, rei militaris periti, & apud multitudinem famam habentes, cùm cæteros, qui in rebus gerendis versabantur, spernerent, ac faciliter se consecuturos arbitrarentur, legem totam illam tollere aggressi sunt, latâ alterâ lege, ut liceret continuè eosdem esse Prætores. At enim Magistratus, qui præerant suffragijs (appellabantur verò consultores) commoti prius ad resistendum, tamen postea destiterunt, putantes, quamvis hac unâ lege solutâ, tamen cæteras esse permansuras; posteà verò prohibere volentes, ne aliæ moverentur, nihil proficere valuerunt, sed mutata est Resp. in potentiam eorum,*

rum,

rum, qui novas res aggrediebantur. Tanto cum periculo mutatio & correctio legum est conjuncta.

XII. Hinc veteres quò sanctiorem legibus conciliarent autoritatem, varia instituêre. Alij enim à Dijs se accepisse eas ajebant; alij Deos illos curare profitebantur, qui legum essent observantes; alij eos, qui leges violabant, à sacris arcebant, quemadmodum à Druidibus factum apud Gallos Cæsar commemorat. Eorum, qui originem earum in Deos retulerunt, plures recenset Marsil. Ficinus in Plat. Minoem; ubi ait. *Legumlatores illustres omnes legum inventionem in Deum, sed per diversa nomina retulerunt. Zoroaster Bactrianis Persisq; leges tradens in Oromasem; Trismegistus AEgyptijs in Mercurium, Moises Iudæis rectissimè in patrem totius naturæ Deum; Minos Cretensibus in Iovem; Charondas Carthaginensibus in Saturnum; Lycurgus Lacedæmonijs in Apollinem; Draco & Solon Atheniensibus in Minervam; Pompilius Romanis in AEgeriam; Mahometus Arabitis in Gabrielem; Zamolxis Scythis in Vestam; Plato noster Magnesiis & Siculis in Iovem & Apollinem; Arcadibus autem & Thebanis & Cyreniacis leges postulantibus denegavit.* Idem in Platone de Leg. dial. 1. *Legibus divina autoritas necessaria est, ne vel negligentiâ obsolescant, vel fraude, vel violentiâ confringantur.* Idem *in Plat. de Legib. dial. 4. ait. Legibus qui observantius parent, his Magistratus maximeq; divini cultus munera committi debent.* & ibid. *Legum observantibus solùm licet expedire vota Dijs, & sacra facere: cæterorum preces & munera à Deo respuuntur.* Ita ex veterum mente loquitur laudatus autor. Quæ omnia eò unicè tetendêre, ut firma persuasio in animis civium gigneretur, leges esse res sacrosanctas, spiracula Numinis, quæ neque violari, neque corrigi, neque mutari, neque tolli à quoquam possint, nisi ab eo, qui τὸ κῦρος habet, & quidem prudentissimo consilio. Hinc quicquid

quid obligationem legis ullâ ratione infirmam reddit, aut saltem illam opinionem, quam cives de illis tenere debent, aliquo modo minuit, ut ab omnibus, ita præcipuè & maximè ab interprete cavendum est. Ex quo firmiter posito, multisque testimonijs confirmato principio plura haud levia ad nostram artem attinentia deducturi sumus infrà.

CAPUT VII.
DE QVALITATIBVS NONNVLLIS AD VBERIOREM LEGVM COGNITIONEM FACIENTIBVS.

Quo ostenditur (1) easdem ferri debere per quasdam Enunciationes illasque (2) enunciationes esse contingentes (3) universales, non particulares, & per consequens (4) hanc ob causam obscuras; suffragante (5) Aristotele & Platone, quos felicissimè sequuti ICti Romani, ut ex eorum fragmentis adductis liquere potest.

I.

HActenus de necessitate & autoritate legum semper inviolabili (intellige eâ, quæ à privatis fit). Iam porrò in naturam earum inquiremus, ex ijsq; plura principia, quibus postea uti possimus, desumturi. Quoniam verò ante probatum fuit, quæ ad virtutes, imò ad Reipublicæ salutem pertinent, eas præcipere solere; necesse est, ut id fiat per aliquas Enunciationes; Voluntas enim Majestatis alio modo civibus communicari non potest. Impressio namq; conceptuum, quâ intelligentiæ inter se invicem uti dicuntur, inter mortales locum habere non potest. Quapropter non

poteſt aliter fieri, quin voluntas Majeſtatis, ſeu ejus, qui eam habet, per aliquas enunciationes civibus declaretur, ſecundum quam vivere tenentur. *Sermo enim, inquit Ariſtoteles lib. 1. Politic, cap. 2. ad hoc datus eſt nobis, ut oſtendamus damnum & utilitatem.* Nunqnam enim civi conſtare poterit, quidnam ſit agendum, quidnam omittendum, niſi id ei per ſignum aliquod, per quod mens ſeu voluntas noſtra ſufficienter declarari poteſt, manifeſtetur. Talia verò ſunt *vox* i. e. oratio ore prolata, *ſcripta, & factum aliquod,* per quod tamen raro ea nobis innoteſcit. Omnibus enim his commune eſt, præcipere aliquid, quod eſt faciendum, & prohibere, quod eſt omittendum. Vtrumq; autem non poteſt concipi ſine aliquâ enunciatione, quæ ſimul ſubjecto & prædicato conſtet. Quandocunque verò hæc duo vel per affirmationem vel negationem copulantur, enunciatio fit. Leges itaq; enunciationes eſſe i. e. per enunciationes nobis manifeſtari extra dubium eſt, ſive aliàs per regulam, ſive decretum, ſive per aliud genus definiantur.

II. Omnis verò oratio ſeu Enunciatio rurſus vel eſt *neceſſaria*, vel *contingens.* Indefinitam enim ad harum alterutram referimus h. e. vel neceſſariò aliquid rei ineſſe dicit, ità, ut ſemper inſit & aliter ſe habere non poſſit, quin ſemper hoc modo, & non alio inſit; vel ità, ut quidem inſit, ſed non neceſſariò, ſed poſſit aliquando vel prorſus non ineſſe, vel aliter tamen ſe habere. Ad harum alteram etiam lex erit referenda. Sed numero neceſſariarum ea annumerari haud poterit: Siquidem nulla lex poſitiva tàm benè poſita credenda eſt, quæ non ad minimum in uno caſu exceptionem ſeu limitationem patiatur. Quo ipſo aliter ſe habere poteſt, & per conſequens neceſſaria non eſt, ſed contingens. Præterea omnis Enunciatio vel univerſalis, vel particularis eſt, (indefinitam rurſus ad harum

alte-

alterutram reducimus) Legem universalem esse dicendum est. Cum enim omnis lex propterea feratur, ut cives secundum ejus præscriptum operationes instituant; hæc enim est voluntas Legislatoris; jàm si particulariter & non universaliter esset concepta lex, poterat quilibet dubitare, num ejus obligatione etiam comprehenderetur: ad veritatem enim particularis propositionis vel unicum individuum sufficere potest: quo posito reliqui haud certi erunt, quisnam ipsâ comprehensus sit, num scilicet hic vel alius eo contineatur; & sic nemo certò secundum illam legem operari poterit. Illustrabimus rem Exemplo. Cum legislator ità ediceret : Quidam non debet contrahentibus metum incutere: quilibet sane civium dubitare poterat, num ipse prohibitus sit metum incutere, num alius. Omnes certè prohibere noluit, ut lex indicat. Quid si jàm omnes non incuterent, fieret hoc ad minimum præter voluntatem legislatoris. Possent adduci exempla alia innumera. Itaq; particulariter lex concipienda non est; neque enim secundum eam cives operari possunt. Non enim ex eâ poterit confici Syllogismus practicus, hoc modo ponendo legem loco majoris in prima figurâ:

Quidam non debet incutere metum contrahentibus.
Ego sum ille quidam,
E. Ego non debeo incutere metum contrahentibus.

Certus enim non est, se illum quendam esse. Hinc patet leges ità concipiendas esse, ut secundum eas cives operari possint, aliàs sunt inutiles & illi ipsi fini, propter quem latæ sunt, repugnant. Argumento tali rem omnem includimus.

Quicunq; modus pronunciandi & ponendi leges, ipsarum legum finem destruit, is in earum latione non est usurpandus.

Atqui particularis. Ergô.

Vniversaliter itaque omnes concipiendas esse patet.

III. Quod si lex jàm sit oratio contingens & universalis, sequitur qnod naturâ suâ sit obscura. Sed est. Ergô.

Quod enim contingens est, illud non semper eodem modo se habere potest.

Lex est contingens. Ergò.

Quod verò non eodem modo se semper habet, id si universaliter effertur, dubium habet, de quo intelligendum sit. Probatur. Nam suppositum est per definitionem contingentis, id interdum aliter se habere; jàm licet universaliter efferatur, tamen naturam contingentis non deponit h. e. incertum est, an de illo, quod nos subsumimus, intelligi seu dici possit. Hinc dubium relinquitur, de quo prædicari debeat.

Ast lex est tale, quod non semper se eodem modo habet, & universaliter effertur. Ergò.

Quodcúnque vero dubium est, de quonam intelligi debeat, id est obscurum.

Atqui Lex tale est. Ergò.

IV. Ità videmus ratione rerum ipsarum in legibus contentarum necessariò oriri quandam obscuritatem, quæ ne quidem à Legislatore evitari potest. Admodum nervosè Aristoteles ea omnia, quæ hactenus demonstravimus, breviter concludit *lib. 5. Ethic, cap. 14.* Cujus *rei causa est*, inquit, *quod lex in universum* (καθόλȣ universaliter) *omnis statuitur; nec fieri potest, ut rectè de quibusdam in universum definiatur. In quibus enim necesse est* (quæ verba diligentissimè notentur, ex quibus etiam nos ante dicta desumsimus) *ut in universum dicatur, rectè autem id non potest, lex id sumit, quod ut plurimum fit, non ignorans sanè quod peccatur & nihilominus tamen se rectè habet. Quippe cum peccatum in lege*

minimè

minimè sit, neq; in Legislatore, sed in rei ipsius natura consistat. Statim enim rerum agendarum materia ejusmodi est. Idem sensit Plato de Rep. *Lex nunquam poterit optimè & justissimè simul omnibus exactè comprehensis id, quod optimum est, præcipere; nam dissimilitudines hominum & actionum; & quod nunquam quid, ut ità dicam, humanarum rerum stabile sit, faciunt; ut nulla penitus ars quicquam simplex in universum de omnibus per omne tempus pronunciare possit.*

V. Ex his immotis Philosophiæ civilis fundamentis deprompta sunt illa prudentum Romanorum responsa, quæ à Iustiniano in titulum de LL.ff. sunt relata. *l. 3.* enim Pomponius ità ait: *Iura constitui oportet, ut dixit Theophrastus, in his, quæ* ἐπὶ τὸ πλεῖστον h. e. *ut plurimùm accidunt, non quæ* ἐκ παρὰ λόγου *hoc est: ex inopinato.* Habet ferè hæc lex eadem verba, quæ referuntur apud Aristotelem lib. 5. Ethic. cap. 14. L. 4. Celsus ità; *Ex his quæ fortè uno aliquo casu accidere possunt, jura non constituuntur:* Idem *l. 5. Nam ad ea potius debet jus aptari, quæ & frequenter & facilè, quàm quæ perraro eveniunt.* Paulus l. 6. τὸ γὰρ ἅπαξ ἢ δὶς hoc est: *Quod enim semel aut bis existit, ut ait Theophrastus,* παραβαίνουσι οἱ νομοθέται *hoc est prætereunt legislatores.* Vlpianus *l. 8. Iura non in singulas personas sed generaliter constituuntur.* Ità videmus Iura Romana eximiè conspirare cum ijs, quæ ex imis Peripateticæ & Platonicæ Philosophiæ fundamentis hausta sunt.

CAPUT. IIX.
DE
CAVSIS INTERPRETATIONIS.

Quo origo ejusdem & necessitas solidè demonstratur, conjunctis ijs, quæ tradidit Aristoteles lib. 5. Eth.

Eth. de ἐπιεικείᾳ, cui innititur noſtra interpretatio, neque ex legibus poſitivis deſumitur, & proinde à nemine mortalium prohiberi poteſt, ne in ſtatutis quidẽ, idem docentibus Ictis Románis, & Iuſtiniano ipſo.

I.

His ità præmiſſis ad oculum patet, quamlibet legem poſitivam ex naturâ ſuâ quandam ſecum obſcuritatam trahere; adeò ut ferè nullam hâc abſolverim. Omnes enim debent eſſe univerſales & contingentes; quæ duo ſi concurrunt, non poſſunt non obſcuritatem, quam diximus, parere. Quod enim contingentes ſint, id ex ſe & natura ſua habent, & à nullo mortalium mutari poteſt; quod autem univerſales, exindè eſt, quia aliàs ſecundum eas nemo operari poſſet. Itaque ſive univerſales ſint, ſive particulares, utrinq; exoritur difficultas; major tamen, ſi particulares; nam tùm prorſus ſecundum eas operari non poſſumus, ut ſuprà oſtenſum; minor, ſi univerſales, ut rectè dixeris, *hydræ caput amputare*, ſi omnes difficultates à legibus poſitivis removere velles. Quoniam itaque hoc incommodum ab eo ipſo, qui leges fert, evitari non poteſt, & tamen propter id, caſibus emergentibus, tutò applicari non poſſunt, hinc neceſſaria eſt declaratio, quæ certos nos reddit hunc caſum, quo de ſermo eſt, legislatorem comprehendiſſe. Talem declarationem vocamus *Interpretationem*. Cujus neceſſitatem oſtenſuri ità argumentamur.

II. Si leges abſolutè ponendo loco majoris & ſine ullâ limitatione ſubſumendo oritur injuſtum, leges correctione indigent. Major per ſe vera eſt. Omne enim injuſtum & quod id infert, corrigi debet. Atqui fit hoc, ſi leges ſimpliciter ità ponimus, ſine ullâ limitatione. Ergò. Hæc correctio, ut ab Ariſtotele dicitur, nihil aliud eſt, quàm inter-

Interpretatio, quæ à IureConſultis Romanis *reſtrictiva* dicitur. Hinc patet quare interpretatio reſtrictiva dicatur oriri non ex vitio legislatoris, ſed legis ipſius. Quodcunque enim vitium in legibus à legislatore emendari non poteſt, id, ſi committitur, culpæ ejus aſcribendum non eſt. Atqui hoc vitium, quod leges ſint propoſitiones contingentes eſt tale. Ergò. Hinc videmus reſtrictivam oriri ex universalitate Legum; quæ quo major eſt, eò majorem difficultatem parit in interpretando. Quò enim universaliores ſunt, eò ſæpius limitandæ.

III. Hæc reſtrictio legum ab Ariſtotele vocatur Æquitas, *ἐπιείκεια* lib. 5. Ethic. cap. 14. Quæ poſitivo jure melius quoddam jus eſt. *Quodcunq́; enim tollit injuſtum, illud eſt jus*; lib. 5. Ethic. cap. 14. inquit Ariſtoteles. Atqui æquitas tollit injuſtum. Ergò.

Quodcunque jus tollit injuſtum ex legibus tanquàm jure ſcripto, illud melius jus eſt,

Atqui æquitas eſt jus per præcedentem Syllogiſmum, & tollit injuſtum ex legibus tanquàm jure ſcripto, per præcedentia.

Ergò eſt melius quoddam jus.

Ita enim dicit Ariſtoteles loco cit. *Τὸ γὰρ ἐπιεικὲς δικαίου τινὸς ὄν, βέλτιόν ἐστι τοῦ δικαίου. Τὸ αὐτὸ ἄρα δίκαιον καὶ ἐπιεικές, καὶ ἀμφοῖν σπουδαίοιν ὄντοιν, κρεῖττον τὸ ἐπιεικές.* Quod ſi hoc eſt, prono alveo fluit, id, ſi aliquam injuſtitiam inducat legis universalitas, eſſe eligendum. Quale autem illud jus ſit, & unde deſumendum, hoc dicetur infrà.

IV. Ex his autem, quæ diximus, non poteſt non ſequi, Interpretem, qui obſcuritatem legis tollere vult, debere eſſe æquum, hoc eſt, illam obſcuritatem ex æquo & bono ſeu æquitate tollere. Is autem ſecundum Ariſtotelem l. c. æquus eſt, *qui ea, quæ à legislatore propter universalitatem*

 defini-

definita non sunt, supplet, *eâ quidem ratione, quâ id ipse fecisset Legislator*, si scivisset, i. nò legem ità instituisset. *Neq; praterea exactus est juris exequutor in peiorem partem, sed imminuit potius, etiamsi legem ad id adjutricem habet*; uti l. c. ait *Aristoteles. Confirmat idem lib. M. M. cap. 1. AEquus est, qui descripta legibus justa diminuit, & moderatur; namq; legislator ad unguem definire non potest, sed in universum loquitur; hic in eisdem intercedens delegit, qua Legislator particulariter quidem definire volebat, verùm ei facere non licuit. Item Rhetoric. 1. AEquum & justum est extra leges scriptas, & accedit partim invitis Legislatoribus, quoties latet, partim volentibus, quoties distinguere non possunt. Boëth. in Top. lect. 3. AEquitas est, quod naturalis ratio persuasit. Albertus Magn. Ethicor. 5. tract. 4. cap. 1. AEquum & bonum melius est quodam justo legali. D. Thomas Ethic. 5. lect. 16. AEquitas est directio justi legalis.* Quæ omnia hactenus relata nobis infrà principiorum instar erunt, quæ supra *οἰκεῖα* seu domestica, genuina & propria appellavimus.

V. Porrò suâ sponte inde fluit, rationem interpretandi, quâ talis est, non debere desumi ex legibus positivis. Probatum enim est has indigere necessariò interpretatione: quod si illa per has fieret, tum hæ rursus per alias interpretandæ essent; illæ autem rursus per alias, & sic res in infinitum abiret. Ostensum enim est, omnes egere interpretatione. Ne itaq; in infinitum abeamus, necesse est, ut alicubi sistamur; hoc autem in lege positivâ fieri non potest. Ergò concedendum est, dari aliud quoddam Ius, ex quo LL. positivæ interpretationem recipiant, ipsum autem â nullo alio, sed sit immobile & perpetuo firmum. Quale solùm est jus illud, quod naturale vocamus. Aut si hoc nolimus, concedendum erit, dari aliquas leges positivas, quæ ab omni interpretatione sint immunes. Tales autem

sile-

si leges sunt, erunt contingentes & universales (hæc duo enim de naturâ legum demonstravimus) & per consequens indigebunt: aut si dicas non indigere, non erunt contingentes & universales, & per consequens neq; leges positivæ. Idem simul verò esse & non esse, impossibile est. Patet itaque necessariò inrerpretationem esse ex alio jure desumendam, quod ab Aristotele *melius quoddam* dicitur. Quapropter nullius Reip. legibus positivis talis ratio interpretandi sanciri debet.

VI. Hinc IureConsulti Romani dicunt eam esse juris naturæ: quorum paucos ex multis adducamus. Simon de Prætis *lib. 1. de Interpretatione ultimæ Voluntatis interpr. 1. dubit. 2.* solut. 2. itâ ait: *Ergò interpretatio de Iure divino, est quoq; de naturali. Probat idem Aretinus concl. 144. licet statuta per text. in l. 2. §. his legibus de Origine juris. Item Curtius senior in consil. 9. col. 8. num. 70.* Hinc est, quod â nullo legislatore aut disponente prohiberi potest, quin ea legibus suis accedat. Quodcunq; enim Iuris naturæ est, hoc est, ex rectâ ratione dependet, adeò, ut si id omittatur, injustũ aliquid oriatur, id per nullius mortalis dispositionem tolli potest; Atqui prohibitio interpretationis factæ legibus positivis itâ se habet. Ergò. Quod si itaq; Legislator leges condat, iisque hanc prohibitionem adijciat, nullius momenti erit. Eâdem ratione si Magistratus aliquis inferior decreta, seu ut loquuntur Iureconsulti Romani, statuta vel leges municipales proponat, & omnem ab iis declarandi rationem removeat, nullam vim sortietur.

VII. Neq; accipiunt IureConsulti Romani, sed eam sine dubio ex hoc fundamento, ex mediâ Philosophiâ civili petito, reijciunt. Simon de Prætis *d. l.* ita pergit: *Quod scire* (nempe quòd interpretatio sit juris naturæ) *ad id utile est, quod per aliquam constitutionem tolli non potest.*

Adstipulatur eidem *Aretinus in d. Consil. & Hieron. Cagnol. in d. §. his legibus num. 84. & Decius in cap. translato Col. penul. circa finem in prim. lect. de constit.* Gothofr. ad l. 2. §. 5. ff. de orig. juris ità ait: *Hinc collige, cum natura pugnare statuta, quæ interpretationes legum vetant:* Eandem sententiam egregiè confirmat Iustinianus *l. 2. §. 5. his legibus de origine Iuris. His legibus latis, inquit, cœpit, ut naturaliter evenire solet, ut interpretatio desideraret prudentium autoritate necessariam esse disputationem fori. Hæc disputatio & hoc Ius, quod sine scripto venit, compositum à prudentibus propria parte aliqua non appellatur, ut cæteræ partes Iuris suis nominibus designantur, datis propriis nominibus cæteris partibus, sed communi nomine appellatur Ius civile.* Ita videntur egregiè Iura Romana cum fundamentis veræ Philosophiæ conspirare.

CAPUT IX.

DE ALTERO OBSCURITATIS GENERE IN LEGIBUS.

Quo ostenditur obscuritatem in legibus oriri ratione Vocum, quæ æquivocæ dicuntur & analogicæ; hancq; à legislatore evitari facile haud posse. Item Ictum ea, quæ à Grammaticis & Rhetoribus dicuntur, haud debere negligere.

I.

Vidimus hactenus unam obscuritatem, jam progrediendum erit ad alteram. Cum autem Lex sit quæpiam Enunciatio, utique, si mentem Legislatoris nobis declarare debeat, necesse est, constare eam debere vocibus, & terminis aliàs usitatis, & sensu, atq; significatu eo, quem

quem in communi loquendi consuetudine obtinent. Procul omni dubio enim hominibus fertur, à quibus, si secus esset, intelligi non posset. *Pecunia itaq., Fas, homo, bos, asinus &c.* idem in legibus significant, quod nobis in familiari sermone. Quod si usitatâ significatione non accipiantur, sed aliâ, eâq; inusitatâ, quæro ego, unde ea significatio nobis innotescat? Certè novâ erit opus declaratione Legislatoris, per quam voluntas ejus sufficienter Civibus manifestetur. Quod si jam sit de ratione Legislatoris, ut inusitatè, & alio modo loquatur, quàm in Communi usu fieri solet, neque illam intelligent; aut si intelligent, non erit de ratione ejus inusitato, sed usitato significatu vocabula accipere. Termini itaque, & inde factæ Enunciationes Legum, easdem in intellectu legentium, vel audientium generant conceptus, notiones, sive species intelligibiles, ut aliàs solent. Nisi quod termini artis sint excipiendi, qui, ut peculiariter ab artificibus sunt excogitati, ità quoque aliter significant: de quibus post dicetur. Quæ itaque de earum naturâ & significatione tradunt vel Grammatici, vel Rhetores, ea omnia Ictis nequaquam prætermittenda. Eandem enim utramq; earum esse acceptionem, jam diximus. Nos breviter ea, quæ ad institutum nostrum facere videbuntur, afferemus; ad minima quæq; tamen haud descensuri.

II. Supponimus verò cum Aristotele *lib. de interpr. c. 1. Voces, signa ac notas affectuum animi esse, scripta vocum. Atque ut non iisdem literis, sic ne vocibus quidem omnes iisdem utuntur. At verò & sensa animi, quorum primùm verba nota sunt, & res, quarum sensa animi, speciem gerunt, idem apud omnes valent.* Nempe res apud omnes eædem sunt, sed voces diversæ, cùm eæ non à natura, sed ex impositione hominum significent. Quod non eædem sint apud omnes voces,

testatur ingens linguarum multitudo; & quod ex libero hominum arbitrio pendeat significatio, comprobatum facit experientia, & mutabilitas vocum, adeò, ut eam, quã diu certam significationem habuit, prorsus in aliam mutent, quæ postea non minus propria est, ac illa prior, quæ apud omnes obtinebat. Quamvis itaq; res mutari haud possint, voces tamen cùm ab impositione dependeant, sæpe mutantur. Porrò munus vocum est, ut aliquid certi significent, ad quod repræsentandum, sunt impositæ; hunc enim usum habent. Si autem non significant amplius, neq; voces sunt. De essentiâ enim vocum est aliquid significare. Quæ si cessat hic, & ipsæ amplius non sunt. Non significare autem varijs modis possunt. Ergo & varijs modis possunt cessare. Et sanè, quemadmodum quælibet res suam peculiarem habet essentiam, per quam à cæteris differt, ita quoque peculiare nomen habere debebat, quod ipsam exprimeret, & à rebus omnibus secerneret. Nam nomina sunt notæ rerum, imò vicariæ, ut loqui velle videtur Aristoteles lib. 1. cap. 1. de Sophist. Elench. Et illud nomen meritò ità comparatum esse debebat, ut non aliam, quàm illam rem, cujus est vicaria, diceret; neque minus, quam in re esset; neq; plus: sic facile esset quaslibet res inter se distinguere. Verùm optare hæc licet, non sperare. Nam, inquit, Aristoteles lib. 1. cap. 1. de Repreh. Soph. *Nomina quidem finita sunt, & orationum multitudo; res vero numero infinitæ sunt: necesse est igitur, plura eandem orationem, & nomen unum significare.*

III. Quo posito insignis oritur difficultas. Auditâ enim voce, quæ plures res significat, & quidem æqualiter, haud certus esse poteris, quam nam præcipuè significet. Si v. g. testator ita in Testamento scripsisset: Heres meus Titio lupum, quem cepi, dare damnas esto. Alat autem testa-

testator ille, & lupum quadrupedem, & aquatilem: quæ vox utrumq; animal æqualiter significat. Potest etiam de utroque dici, quod possit capi. Sanè, & heres, & Legatarij incerti erunt, quidnam senserit testator, cujus tamen voluntas servanda est. Neque est, quod objiciat quis levia hæc esse, non multum interesse, sive quadrupes, sive aquatilis detur, adeòq; tot verba de re tam vili fieri haud debere. Fateor, rem non adeò esse magni momenti, verum, quod potest accidere in tali, contingere quoq; potest in re multò majoris momenti. Neque in interpretando lucrum aut damnum per se spectamus; sed quinam verus & genuinus fuerit sensus disponentis, aut, ut verbo dicam, verum sequimur. Quod vitium itaque adhæret vocibus per se, id neque à Legislatore evitari potest. Quoniam enim vocibus non pro arbitrio uti potest, sed ut in communi usu obtinent, ut suprà dictum, hinc neque earum difficultates effugere poterit.

IV. Posito itaq; hoc principio, plures esse res, quàm voces, ut anteà ex Aristotele diximus, non possunt non oriri voces plures res denotantes. Quod si hoc fit, tum aut res, ad quas denotandas impositæ sunt, æqualiter significant, h. e. ità, ut totam earum essentiam exprimant, *neq; plus, neq; minus dicant; aut plus dicunt, quam debeant; aut minus, aut nihil.* Plures modi cogitari non possunt. Si æqualiter significent, univocæ dicuntur; si minus, aut plus, (res enim eodem recidit) tum analogicæ; si nihil præter nomen, æquivocæ, seu homonymæ. Quas omnes accuratè distinguere debet is, qui verè orationem aliquam explicare vult. Eadem difficultas in oratione posset videri, quæ in vocibus est; sed interdum est major, interdum minor. Cum enim plures copulantur, ex earum copulatione aliud ex altero intelligi interdum potest. V. g. Lupum, quem

in pisci-

in piſcina mea majori cepi, Titio dato. Sequentia ſtatim indicant, quem lupum intellectum velim. Sed de hoc, quot & quantæ difficultates oriri poſſint, videbimus infrà. Adduximus ſaltem hæc, ut pateat legum interpreti obſcuritatem duplicem oriri, ex verbis unam, & alteram ex legum naturâ, ſeu ſententiâ earundem. Eodem modo hæc explicat Excellentiſſimus Dominus Præſes in notis ad VVeſenb. & Bachov. Tit. de Leg. Num. 8.

CAPUT X.

DE DUOBUS SIMPLICIBUS HABITIBUS INTERPRETANDI ARTEM CONSTITUENTIBUS, nempe Σύνεσει καὶ γνώμη.

Quo monſtratur præter ea, quæ ſuperioribus Capp. expoſita ſunt, requiri quoque in interprete τὴν σύνεσιν καὶ γνώμην, & quidnam diſcriminis inter utramque intercedat. Et tandem quoniam illæ ipſæ potentiæ prudentiæ ſubordinatæ ſunt, interpretationem eſſe faciendam ex mente viri prudentis, quippe à quo leges quoq; ſunt profectæ.

I.

QVilibet, qui ſolidè & rectè leges interpretaturus eſt, non tantum, quæ à Grammaticis de verborum natura & ſignificatione dicuntur, præſupponere debet, de quibus poſt dicetur, ſed inſuper eum habitum ſibi parare, quo ſine haud ritè de aliorum inventis judicare poſſumus. Vocat eum Ariſtoteles lib. 5. Eth. cap. 9. σύνεσιν, quam interpretes *perſpicaciam* vertunt, num benè vel malè, non diſputamus, neq; hujus loci eſt. *Ea quidem non eadem eſt*

cum

cum prudentia, neq; tamen omnimodò diversa. Certè circa eadem, nempe res agendas versantur. Sed hoc interest, quod illa sit praeceptiva, hac verò saltem indicativa. Hinc videmus insignem differentiam inter judicem & interpretem Legum. Is, quoniam prudentia judiciariâ præditus est, præcipere potest, hic verò quoniam perspicaciâ tantùm, indicare; Quapropter ejus interpretatio nullam ex se producit obligationem, sed saltem indicat, quænam mens sit legis, à qua cives obligantur. *Neq; verò habere, neq; acquirere prudentiam* (inquit Aristot. loc. cit.) *perspicacia est; sed sicut perspicere dicitur discere, cum scientiâ quispiam utitur; ita quoque cum opinione utitur ad ea judicanda, de quibus prudentia est, alio dicente.* Atqui leges sunt ejus generis, quæ ab aliis & quidem prudentibus proficisci solent. E. ad eas rectè dijudicandas tali habitu opus esse videtur.

II. Qui tamen solus haud sufficit. Cum omnes ferè, qui circa leges versantur, communi consensu fateantur interpretationem esse legis ad casus emergentes applicationem. Quod si hac ratione sumatur, alter ille habitus, quem Aristoteles loc. cit. γνώμην appellat, abesse non potest. Ejus enim beneficio id, quod æquum & bonum est, indagamus. *Nam,* inquit Aristoteles, *quæ vocatur sententia, quâ bene scientes, & habere sententiam, γνώμην, quosdam dicimus, ob æqui & boni viri judicium rectum. Cui rei id argumentum est, quod æquum & bonum virum maxime esse ad consentiendum hoc est, ignoscendum idoneum dicimus; æquitatem verò esse, habere consensionem & veniam circa singula. Consensio autem sententia est judicativa recta æqui & boni viri; ast recta ea est, quæ est veracis.* Constat itaq; nostrum habitum interpretandi leges, esse quasi compositum ex perspicacia & sententia seu γνώμη, quemadmodum sapientiam ex scientiâ & intellectu conflatam esse, notum est: Quæ itaq; de per-

ſpicacia & γνώμη dicuntur, eadem quoque interpreti ineſſe oportet, & quæ illarum ſunt principia, eadem etiam noſtræ artis erunt.

III. Conſtat itaque, leges ita eſſe interpretandas, quemadmodum perſpicacia & γνώμη inſtructus cenſet, hoc eſt, ut uno verbo dicamus, quemadmodum Prudens; *Sunt enim hi habitus omnes* (ut verbis utar Ariſtotelis) *conſentanea εὐλόγως tendentes; nam & ſententiam & perſpicaciam, & prudentiam & intellectum ad eosdem referentes dicimus: dum & ſententiam & intellectum jam habere & prudentes & perſpicaces appellamus. Omnes enim facultates hæ ultimorum ſunt & particularium. Atqui in eo quidem quod ad judicandum idoneus quispiam eſt, de ijs quæ egit prudens, perſpicax & bene ſentiens ſeu conſentiens erit: nam æquè communia bonis omnibus ſunt, in eo, quod ad alium ſpectant.* Quoniam itaq; leges à Prudentibus profectæ ſunt, *ſequetur etiam eas ita eſſe interpretandas, quomodo vir prudens cenſet.* Prudens enim à prudenti non differet. Hinc quæ prudentis mens eſt, talis eſt interpretanda: Prudentis autem alia mens eſſe non poteſt, niſi quæ rectæ rationi & virtutibus in univerſum ſit conformis, aut ad minimum, ſi aliter fieri non poſſit, quin in certo aliquo caſu omne injuſtum evitari, humano quidem conſilio non poſſit, minimum eligit, majus vero devitat. Hoc enim prudentis eſt, & factum quoq; fuiſſet ab eo ipſo, qui legem tulit, ſi ante prævidere potuiſſet, imò, ſi adeſſet, ipſe ita diceret. *Æqua enim communia bonis omnibus ſunt, in eo quod ad alium ſpectant.* Prudens verò ut latè demonſtrat Ariſtoteles, *& juſtus eſt, & æquus, & bonus, & cum recta ratione agit, & ſemper meliora eligit:* Quæ omnia ab interprete legum tanquam prudente accuratè obſervari debent. His nos infra tanquam principijs utemur.

IV. Hæc ex imis Philoſophiæ fundamentis de in-

ter-

terpretatione legum in genere ita demonstrari possunt, quæ si applicentur jam variarum legum interpretibus, reperimus & nonnulla convenire & nonnulla discrepare; omnium verò optimos eos esse, qui quam proximè ad hæc principia accedunt. Et verò variarum Rerumpnblicarum leges earumque interpretationes perquirere, à nostro instituto haud esset alienum; non enim quarundam saltem seu individuarum sumus tradituri rationem interpretandi, puta, Suevarum, Alemannicarum, Ripuariarum, TransRhenarum, Salicarum, Romanarum, &c. sed omnium in universum. Verùm ex omnibus exempli loco præcipuè ea examinabimus, quæ ab interpretibus Romanis dicta sunt. Illi enim & propius ad ea, quæ monstravimus principia, accedunt. & reliquos etiam antecellunt. Vt verò id manifestum fiat, variorum Iurisconsultorum, qui Romanas leges interpretati sunt, testimonia adducemus, ex quibus luculentè patebit eos ab his immotis principijs haud longè recessisse, sed si qua discessio interdum facta, eam non omnibus, sed illis, qui minus rectè artem calluerunt, ascribendam putamus.

CAPVT XII.

DE REGVLIS DVABVS INTERPRETANDI.

Quæ ex superioribus confirmantur, nempe, Rectè à Ictis attendi verborum proprietatem; posse tamen ab ea propter quasdam causas interdum recedi.

I.

Reservatis ijs, quæ de verborum significatione seu interpretatione dicenda sunt, sub ingressum brevissimè ostendemus, cum ijs, quæ hactenus saltem obiter monstra-

vimus, convenire, quæ à Iurisconsultis in interpretando adhiberi solent. Primò enim ponunt, quàm maximè proprietatem verborum attendendam esse (quæ qualis sit, paulò post dicetur) à qua tamen recedi posse ajunt, si prægnantes causæ sese offerant. Qua quidem in re optimâ nituntur ratione. Cum enim suprà dictum sit, verba esse notas passionum animi, seu repræsentare conceptus illos, quos noster intellectus de rebus ipsis formavit: qui ejusmodi signis indicari debent, quæ vel omnibus vel pluribus communia sunt; aliàs intelligi non possent. Ast Legislator conceptus mentis suæ seu leges civibus manifestari vult; quocirca ejusmodi signis ipsi utendum erit, quæ ab omnibus seu plurimis intelligi possunt. Hoc modo verò nos propria infrà ex Aristotele definiemus. Quâ ratione verò verba à Legislatore accipiuntur, eâdem quoq; ab interprete sumenda sunt; sed ità accipiuntur ab eo, quò ab omnibus vel plurimis intelligantur. Ergò & hâc ratione ab interprete quoq; sumenda sunt. Hæc verò sunt propria. Ità patet rectè Ictos Romanos præcipuè *attendere verborum proprietatem.*

II. Quia tamen verba ideò inventa sunt, ut conceptus exprimant, & quidem tali modo, quo à loquente & disponente intelligi volunt; sæpissimè verò vel propter ambiguitatem vel propter obscuritatem orationis, seu aliud aliquod vitium, tum loquentis, tum illius, ad quem sermo dirigitur, quin etiam illarum rerum, quibus de sermo est, (de quibus omnibus postea dicetur) haud ità perspicuè exprimantur, ut statim sine omni hæsitatione interpreti innotescant; scilicet hunc esse illorum sensum & non alium; *in dubio quidem à proprietate recedendum non est*; hanc enim prudens, qui intelligi vult, observat; sed tamen, si propriè vox sumpta & simpliciter prolata conceptum talem.

ſem repræſentaret, qui vel legis obligationem infringeret, vel inſignem injuriam innocenti inferret, vel quodvis aliud, quod ſuprà fugiendum diximus, inveheret, *ab ea recedendum eſt*; quoniam hæc talia prudenti ne quidem in mentem venire potuerunt. Is enim bonus, æquus, juſtus, & cæteris virtutibus inſtructus eſt. Quotiescunque itaq; in LL. interpretandis tale quid occurrit, *à verborum proprietate meritò recedimus*. Quin, cum antea ſuppoſuerimus eo modo diſpoſitionem ſeu legem quamvis interpretandam eſſe, quo intellecta fuit à diſponente, non poterit ita explicari, ut tale inconveniens in ſe contineat; quoniam contrà naturam prudentis hoc eſt; Ergò haud quaque illo modo eandem interpretari poterimus.

LII. Dicis, etiam contrà rationem prudentis eſſe, non ſervare proprietatem verborum, præſertim in Legibus, quæ perſpicuè & ſine omni ambiguitate præcipere debent, quid velint, ne earum obligatio ſit in ſuſpenſo & à civibus eludatur. Hoc enim fugiendum eſt. Qui enim impropriè loquitur, is, quantum in ſe eſt, ad minimum duo ſimul dicit; & id, ad quod vox illa primò fuit impoſita, tanquam propria; & id, ad quod ipſe trahit in impropria ſignificatione. Imò fieri poteſt, quòd ad plura extendatur; improprium enim multis modis contingere poteſt, quemadmodum proprium uno. Si itaque conſtet vocabulum eſſe improprium, metus ſubeſſe poterit, an non hoc, annon illud, anne verò aliud ſignificet? Et ſic voluntas diſponentis ſemper erit incerta. Quandiu autem hoc ſit, tandiu nulla oriri poteſt obligatio. Ergò quando recedimus à verborum proprietate, nulla videtur ampliùs ſupereſſe obligatio. Quæ res non caret difficultate. Sanè fatendum eſt omnium optimè illas leges ſe habere, quæ propriiſſimis verbis ſunt perſcriptæ; tum enim perſpicuè declarant.

clarant se hoc velle & non aliud. Et omnium difficillimæ illæ sunt interpretatu, quæ obscuritate verborum illâ laborant, quæ non à naturâ verborum & orationis, sed ab ipso Legislatore oritur, dum vel metaphoras multas, vel alia schemata rhetorica adhibet, quod nonnullis legibus familiare est; cum illa sufficere potuisset, quæ ab ipsa legum naturà oritur, quæque cum ijs ita conjuncta est, ut nullo modo separari queat. Quapropter si contingat, ut in multarum Rerump. Legibus frequens est, quod vox propriè sumpta conceptum talem, qualem nos fugiendum diximus, repræsentet, ea relinquenda est, & ita lex interpretanda, ut eruatur, quantum fieri potest, talis sententia, quæ rectæ rationi, seu judicio boni & prudentis viri quàm maximè sit conformis. Nec quicquam facit, quod dicitur non constare, quidnam velit lex, quænam ejus mens, si dispositio nobis non innotescat; id enim vel ex æquitatis ratione, vel subjecta materia, vel aliis signis sic satis elucescere potest. Quo posito, de obligatione certi esse possumus, præsertim, si nitamur firmâ ratione ex jure illo immobili, quod naturæ dicimus, petitâ, quæ majus quodammodo robur dispositioni addit.

IV. Neq; præterea obest, num videatur sensisse tale nec ne disponens; cum si prudens fuit, quemadmodum esse debet, aliud sentire non potuit, quam quo modo prudens intelligit; inter prudentem enim & prudentem nihil est discriminis. *Nam ità interpretatur hic, quemadmodum ipse Legislator sanxisset, si scivisset*, ut verba Aristotelis habent. Neq; ultimò nostræ sententiæ adversatur, esse contrà rationem prudentis verba impropriè capere; ità enim is ea non usurpat. Nam fieri potest, quod hoc vitium sit in ipsis verbis, quod is mutare non potest. Sanè sunt homonyma, sunt amphiboliæ, sunt alia quasi vitia orationis

qui-

quibus ea obſcuratur, quæ prudens ſemper effugere non poteſt. Ità qui vorticem uſurpat, lupum, canem, gallum &c. non poterit plura illa ſignificata auferre, niſi addat cuilibet eorum definitionem nominalem, quâ explicet, quâ ratione accipiat. Aſt operoſum nimis omnibus talem adijcere.

V. Fieri porrò poteſt, præſertim in antiquis ſcriptis, ut vox aliqua, quæ tempore diſponentis propria fuit, poſt aliquem annorum decurſum, ubi de ſcriptura illa diſceptatio incidit, ſit facta impropria (quemadmodum fieri poſſe infra dicemus) cujus reſpectu ſanè alia propria erit; quæ ſi ſubſtituatur in locum ejus impropriæ, quæ tamen antea diſponenti propria fuit, diverſus planè ſenſus oritur; quod ne fiat, utiquè ab ea proprietate, quæ jam obtinet, recedendum, & ne incommodum tale emergat, quod nos fugiendum diximus, verba impropriè accipienda ſunt. Verba enim propterea ſunt, ut conceptus, quos debent, indicent; quod, ſi propter vitium aliquod id præſtare non poſſint, perdunt uſum; & ne diſpoſitio eluſoria reddatur, potius alio ſenſu accipienda, quàm quo omnes utuntur. Sed hac de re dicemus infra latius. Vnicum notaſſe ſufficiat hic ſub initium, nempe interdum optimâ ratione à verborum proprietate recedi poſſe, ſi contrà id, quod vir prudens ſtatueret, interpretatio eſſet facienda. Hinc recedunt ICti Romani toties à verborum proprietate, quoties vel mens diſponentis aliud ſuadet, vel inſignis aliqua oriatur injuria, vel actus annulletur, vel aliud incommodum ſequatur. Poſſent huc varia, imò innumera exempla tranſcribi; ſed rei evidenti præter neceſſitatem haud immoraturi ſumus, præſertim cum infrà eadem ſolidius ſimus repetituri.

Hoc capite porrò inquiritur in naturam Orationis, quæ interpretanda est; & præmißis ex Aristotele partibus Orationis ostenditur, necessariò dandam esse quandam proprietatem in omnibus linguis, eamq; neq; ex prima impositione, neq; allusione, neq; Etymologia, desumi posse, sed ex communi, qui apud omnes obtinet, usu. Examinatur quoq; vocab. Proprij, & docetur id vim vocab. κυρίου Aristotelici haud exprimere. Cum Aristotele conveniunt quoq; ICti Romani. Docetur etiam absurdum haud esse, vocabulum Metaphoricum fieri proprium, & contrà, & quare. Duplex tandem concluditur proprietas, una omnium illorum, qui alicujus linguæ participes sunt; altera eorum, qui certæ alicujus societatis membra sunt; quales termini technici esse solent. Utraq; autem proprietas & singulorum usu æstimanda.

I.

SEd his in antecessum levi brachio perstrictis jam intimius in naturam orationis inquiramus, ex ea multa deducturi, quæ officium interpretis propius concernere videntur. Ponimus verò orationem esse compositum quiddam ex vocibus declarantibus conceptus mentis. Propterea enim hæ inventæ sunt, ut hos exprimant. Illæ voces verò, ex quibus constat oratio, vel significativæ sunt, vel significationis expertes. Illæ conceptum quendam de re quapiam, seu si mavis, formam quandam, vel ideam rei intellectui repræsentant, suntq; tum nomen, tum verbum. Nam voces significativæ vel cum vel sine tempore aliquid significant. *Nomen est vox significativa, sed sine tempore.*

Ver-

Verbum verò cum tempore. Voces significationis expertes sunt, quæ certam aliquam formam intellectui non repræsentant; quales sunt præpositiones, Conjunctiones, & interjectiones. *Porrò voces significativæ aliæ sunt propriæ, aliæ subtracta, aliæ immutatæ.* Ita enim ait Aristoteles libro de arte poëtica cap. 21. *Omne autem nomen est aut proprium, aut lingua, aut translatio, aut ornatus, aut factum, aut protractum, aut subtractum, aut immutatum.*

II. Nos omissis illis, quæ artem dicendi potius quàm interpretandi contingere videntur, ea imprimis considerabimus sine quibus nullum omnino orationis genus intelligere possumus. Imprimis vero accuratè perpendendum, quid proprium sit, ab hoc enim omne ferè momentum interpretandi dependere rectè dixeris. Cum enim legislator non aliter possit civibus voluntatem suam ostendere, quàm per verba, per alia id haud fieri poterit, quam quæ eo modo significant, quo apud omnes valent. Si enim ejusmodi uteretur, quæ ipsi aliud denotarent & aliud subditis, impossibile esset ullam oriri obligationem posse, & per consequens legem esse. Quapropter necessariò efficitur, ut tales voces seu tale orationis genus adhibeat, quod plerique seu singuli usurpant, aliàs, ut sæpius dictum, intelligi haud poterit. Ea vero vox quâ singuli utuntur, propria est, ut habet Aristoteles libro de Arte Poëtica, cap. 21. ubi ait, λέγω δὲ κύριον μὲν, ᾧ χρῶνται ἕκαστοι h. e. dico proprium, quo utuntur singuli.

III. Et in quavis lingua necesse est, ut dentur tales voces propriæ. Cum enim de nulla re inter mortales ulla communio esse possit, nisi beneficio sermonis, necesse sanè erit, ut is constet vocibus, quæ semper unam eandemque rem exprimant, seu, quibus auditis, semper unus idemq; conceptus formetur ab omnibus; secus, quantum

turbarum foret, quantumq; confusionis, facile est conijcere, si fingamus nullas esse voces, quæ res certas denotent, sed hanc pro lubitu hanc rem significare; mox verò, mutatâ mente loquentis, rursus aliam, deinde iterum aliam, & prout voluntas cujusque ferret. Ita sanè fieret *ut nec nos intelligere inter nos, neq; quicquam communitatis sive quâ virtutem, sive qua vitæ sustentationem habere possemus.* quæ res cum ipsi fini civitatis, nempe societati civili, seu indigentiæ expletioni adversetur, tanquam destruens & evertens omnem, quam natura introduxit, conjunctionem, summo studio vitanda est. Hinc videmus ductu naturæ homines coactos fuisse, vocibus certas significationes imponere, ut, ijs auditis, statim intellectus dijudicare possit, quænam illa res sit, de quâ sermo est. Si jam illius vocis significatione (ita ex placito & voluntate hominum) omnes & singuli utuntur, illud Aristoteles dicit κύριον, nos verò proprium.

IV. Quamvis, ut fateamur, quod res est, vocabulum proprij naturam & vim vocabuli κυρίου haud quaque exprimat. Descendit autem id ἀπὸ τοῦ κῦρος quod varia apud Græcos denotat. Vulgatissima significatio est, authoritas, potestas, pòst dominium. Item rata fides & probatio. Plato in Gorgia ait καὶ τὸ κῦρος αὐτῶν διὰ λόγων ἐστί. Sophocles in Electr. Ἥ δὲ νῦν ἴσως πολλῶν, ὑπάρξει κῦρος ἡμέρα καλῶν. Galeno præcipuum munus est tum in Therapeut. tum in 10. de Febr. ubi ait ἐπεὶ ἐν τῷ ψύξαι καὶ ὑγραίνει τὸ κῦρος τῆς θεραπείας ἐστίν. Dioni quoque decretum est τὸ δὲ κῦρος σὺν πᾶσι πραχθεῖσιν ὑπὸ τοῦ κράτιστος ἐκβεβαιοῦν. Ex hoc jam significationem τοῦ κυρίου tanquam inde derivati colligere poterimus. Vt verò ex pluribus paucas quasdam recenseamus, (1) significat authenticum, seu potestate & autoritate præditum (2) Item ratum & non abrogatum,

tum; hinc κύριος νόμος, non abrogata lex; (3) præcipuum & antiquiſſimum. τὰ κύρια τῦ λόγυ dicuntur, quæ orationi maximè ſunt accommodata & propria; κύριον verò ſubſtantivè ſumptum ſignificat poteſtatem ſupremam & dominium. Hinc κυριολεκτῶν proprie & diſtincte loquens. Item κυριολογεῖν propriò nomine dicere. ὐδὲν ὄνομα ἐπὶ θεῦ κυριολογεῖσθαι δυνατὸν h. e. nullum de Deo proprium nomen dici poteſt, inquit Iuſtinus Martyr. Ex his omnibus locis facile cuivis patebit proprium aut non omnimodo τῷ κυρίῳ reſpondere, aut ſaltem emphaſin ejus nequaquam exprimere. Repetit hoc Ariſtoteles lib. 6. Top. cap. 2. ubi ait: ἐνδέχεται δὲ καὶ τὸν μεταφορὸν εἰπόντα συκοφαντεῖν, ὡς ὐ κυρίως εἴρηκε. Quod non proprie (reddit interpres) locutus fuerit.

V. Sanè non vana eſt conjectura per τὸ κύριον Ariſtotelem non obſcurè indigitare, primis illis, qui nomina rebus impoſuêre, fuiſſe quodammodo prævilum, haud fieri poſſe per nimiam rerum multitudinem, ut quælibet res peculiare nomen ſortiri poſſit; hinc quoniam de eo deſperarunt, jamque præviderunt, unum nomen ad plures res ſignificandas adhibendum eſſe, aliquam tamen ejus ſignificationem eminentem, ſeu dominantem, & principalem eſſe voluerunt, quò rem illam, ad quam principaliter ſignificandam inventum eſt, ab alijs diſcerneret. Hinc non ἴδιον, ſed κύριον appellat. Præterea de ratione proprij id eſſe ſcimus, quod ita rei alicui competat, ut illi non poſſit non convenire, & reliquas res omnes extra ſe excludat. Imò ex ipſa natura rei fluit, & ab ea per naturam actu quidem ſeparari non poteſt. Verùm hoc de vocibus aſſeverare non poſſumus. Præterquam enim quòd non ſint de natura rerum, quarum imagines ſeu notæ ſunt (ſunt enim ex impoſitione) nullam earum invenire licet, quæ non ad

alias quoque res denotandas adhiberi posset. Dico nullam; omnis enim vox (intelligo nomen aut verbum) ita comparata est, ut ex ea metaphora fieri possit: hac ratione verò ad alias res significandas adhibetur, quam ad illam, ad quam principaliter denotandam inventa est. Hinc vix est, quod voces illas, quas Aristoteles κύρια appellat, ἴδια vocare possimus. Sanè si ἴδια essent, ad nullam aliam rem significandam unquam transferri possent; quod tamen verborum naturæ repugnare quilibet videt.

VII. Aristotelis sententiam respexit sine dubio Andreas Alciatus, interpres juris Rom. laudatissimus. Is lib. 1. de verb. signif. tres acceptiones proprij refert, & inter illas tertio loco ait: *Tertiò, cum res communes pluribus in uno aliquo nomen habent eximium, ut cum tabernaculum Ducis Augustale appellamus & tabernaculum principum lex propriè appellat in l. officium ff. de re militari & venales ac novitios pro servis ut in l. f. de AEdilit. Edict. Hinc etiam illud proprium dici arbitratur, quo nihil dici possit significantius, ut cum Celsus inumbratam quietem furiosi in l. quod meo §. 1. de acqr. poss. qui in conspectu sanæ mentis videbatur. Et ad hanc speciem pertinere ait, cum res aliqua speciali sibi nomine & cum alijs communi appellari possit. Nam quod peculiarius sibi est, id illius est proprium, ut cum adulterium in lege Julia cum uxore aliena dicimus, propriè dicimus, cum stuprum, quia cum vidua etiam, virgine, puero, meretrice committitur καταχρηστικῶς loquimur. l. inter §. 1. de Adul.* Ità patet nec interpretes Romanos ab hac sententia abludere.

VII. Ut compendio dicamus: quicquid hujus est, id omne pendet à solo arbitrio humano, cui pro placito nomina rebus imponuntur; quæ quemadmodum ab initio liberrima voluntate fuerunt imposita, ita procedente tempore ea, quæ haud rectè rebus tributa visa sunt, usu

vel

vel etiam peritia illorum, qui artem dicendi calluerunt, correcta & mutata sunt, ut adeò de proprietate vocabulorum neque ex prima impositione, neq; etymologia, multò minus allusione judicare queamus. Negandum quidem non est (imò optandum quoque) voces eas, res quarum imagines sunt, quantum fieri possit, imitari debere: sunt enim signa, quorum esse consistit in imitando. Hæc enim ea, quorum signa sunt quam maximè æmulari decet. Hinc omnis is, qui voce destitutus significare quippiam vult tale signum edit, quod rei, quam denotari cupit, est conforme, seu eam imitatur. Sic si mutus significare vult, aquam esse hauriendam, inflectit sese & speciem haurientis præbet; si potum postulet, aut cibum, simili modo se gerit, quo illi facere solent, qui vel præbent tale quid, vel comedunt. Hoc adeò naturale est, ut ipsis brutis tributum videamus, quæ sæpè gestibus id, quod volunt, nobis significare solent. Multò clarius id patet in Musicis, quorum artifices adeò accuratam soni habent rationem, ut nullus textus dari videatur, cui non convenientem sonum rem ipsam imitantem finxerint. Posset hoc latius demonstrari ex fundamentis musicis; sed in re tam perspicua quid opus est verbis? Quod si itaque voces quoque signa sint rerum; horum autem natura & essentia consistat in imitando, quæ rectiùs imitantur, eæ erunt significantiores, quæ significantiores, eædem quoque meliores. Si enim tali sono voces præditæ essent, ut, eo audito, statim res ipsas, quarum imagines sunt, percipere valeremus, eæ omnium optimæ essent. Et hæc, ni fallor, intentio fuit primorum illorum, qui nomina rebus applicuêre. Sed, ut fieri solet, intentio fuit, verùm præclaro excidit ausu. Non putaverim utilius quid mortalibus accidere potuisse, quam si hoc obtineri potuisset. Quantis laboribus & mo-

lestijs in linguis perdiscendis supersedere potuissemus? Quod si enim soni illi ita rebus essent convenientes, & facilius addisci, memoriaque teneri, imò ipsæ res longè certiùs cognosci, intimiusque perspici possent. Sed nimis quantum vocum sonus interdum discrepet à rebus? Sane non facile linguam in omni orbe reperies, quæ de hac felicitate gloriari possit. Prædicant sane hac in parte Hebræam; sed judicium esto penes alios. Si hac prærogativa gaudet, ea in paucis erit, ut in omnibus sit, ut credam, nullo modo adduci possim. Si enim audias voces, bos, equus, homo, domus, culter, ensis, mensa, scamnum &c. haud facile rerum, quarum signa sunt hæ voces, discrimen, ne dicam essentiam concipere poteris. Imò sunt diversissima vocabula, discrepanti admodum sono prædita, quæ unam eandemque rem significant; ut ensis & gladius; quorum vocabulorum sonus est admodum distinctus; unam tamen rem denotant. Quod si jam sonus ita esset congruus rebus; ex diversis sonis diversas res judicare necesse esset, sed nos, qui periti sumus istius linguæ, auditis illis vocabulis, unam eandemq; rem concipimus.

IIX. Exinde judicium ferri potest de illorum sententia, qui asserunt omnes voces (intelligunt autem proprias) essentias rerum explicare & intimè cum ijs copulatas esse, adeò ut propria vocabula primos conceptus cujuslibet rei vocitent. Ex eodem fonte hausta illa sententia est quæ docet proprietatem à definitione esse sumendam: quæ si simpliciter ita intelligatur, mirum quantum à vero abscedit. Præterquam enim quod voces, tanquam soni, essentias imitari minimè valeant; sed si quid imitationis est, desumptnm id omne à proprio quodam, imò ab accidente, quod vel semper vel plerumq; cum eo conjunctum est; Ab alio enim non potest desumi, nisi quod in sensus incurrit; sed nulla essentia in sensus incurrit; E. Ne-

que ab ea desumi potest. Hinc quamvis asseramus voces debere res imitari, non tamen concedere possumus, eas essentias rerum exprimere, aut à definitione posse desumi, sed quo sensu, commune illud juris consultorum Romanorum effatum verum esse possit, infra dicemus.

IX. Quoniam itaque voces ita quidem effictæ esse debebant, nec tamen erant, progressu temporis, illi, qui peritiâ aliqua rerum instructi fuerunt, voces, quarum sonum nimis alienum à re, quam significare debuerunt, duxerunt, ad alios, quibus convenientiores putarunt, traduxerunt. Quæ si benè translatæ visæ sunt, plures ijsdem usi sunt, donec tandem ita invaluerunt, ut singuli easdem usurpare cœperint h.e. propriæ seu κύρια factæ sint. Nolumus id, quod diximus, exemplorum numero, qui ingens in omni linguarum varietate deprehenditur, augere. Hæc causa prima fuit voces transferendi, mutandi, corrigendi, imò prorsus abrogandi, quo numerosa obsoletorum, inusitatorum, & priscorum vocabulorum multitudo referenda est. Ita inquam naturaliter res sese habet si causas vocum mutationis &c. inquirere velimus. Non negamus verò postea alios innumeras causas accessisse, ob quas ejusmodi mutationes contigere, quas hic recensere nec nostri instituti est, nec operæ pretium. Hoc saltem monstrasse sufficiat falsò à nonnullis astrui illa fundamenta à quibus proprietatem desumendam esse communiter asserit. Propterea inde illud ortum quod communiter dicunt benè translata esse propria: & quod interdum necessariò sint voces transferendæ. Quæ si usurpantur ab omnibus in eo significatu, fiunt propriæ.

X. Porrò videmus per experientiam non omnes homines eâdem linguâ uti; nec tamen quemlibet peculiari; alias enim nulla unquam communio inter eos esset.

E. Plu-

E. Plures hac, plures aliâ sibi invicem communicant. Illi jam certa vocabula habent, quæ principaliter & eminenter apud omnes illos, quorum communis lingua, idem significant. Hoc enim omninò fieri debet: alias ut sæpius dictum, nullo modo ullum commercij genus inter ipsos esse possit. Sermo enim unicum instrumentum est, inquit Aristoteles lib. 1. Polit. 1. *quo justum & injustum damnum & utilitatem ostendere possumus.* Hinc quandocunq; vocabulum apud ejusmodi homines videmus usurpatum à pluribus, imò ab omnibus, in eo significatu, id dicimus κύριον, seu ut nos loquimur, proprium. Quod verò non ab omnibus, neque à pluribus, sed aliquibus saltem, & quidem tale, quod jam ante ab omnibus in certa significatione usurpatur, sumi videmus, translatum dicimus. Si autem tale ante hac non fuit, sed re novâ exoriente, etiam novum vocabulum ponere licebit, quod quidem cum principaliter quoque illam rem significet, cumque illud antea nullum aliud habuerit, κύριον dicemus, præsertim, si usus singulorum accedat.

XI. Quandocunq; itaq; certi homines dantur, qui peculiari inter se linguâ seù vocibus etiam peculiaribus utuntur, earum vocum significatus, qui ab omnibus illius gentis, ordinis, vel societatis frequentatur, κύριον seu proprius dicitur. Cùm verò per experientiam constet, plures dari societatis ejusmodi, quæ peculiaribus sibi vocibus, quæ non idem significant apud omnes ejusdem nationis homines, utuntur, fit, ut earum vocum quædam proprietas apud illos sit, ab ijsdem omnibus in ea significatione capiuntur. Nullam ferè artem licet temerè reperire, quæ non habeat peculiares sibi voces, quibus ab alijs distinctam imposuit significandi vim: nullam itidem disciplinam & scientiam ab his immunem deprehendere licebit. Ha-

rum

rum jam proprietas dependet rursus à frequenti omnium acceptione. In quacunq; enim significatione vox ab omnibus illius ordinis hominibus accipitur, ea est κύρια seu propria. Hinc totam proprietatem verborum collocamus in usu singulorum. Quapropter rectè Aristoteles dicit: quo singuli utuntur, κύριον dico. Quicquid itaq; in ulla lingua propriarum s. κυρίων vocum deprehendere licet, id omne ex solo usu & consuetudine desumendum esse putamus. Quoniam fieri potest itaque & sæpè fit, ut tota aliqua societas, vel integra aliqua Respublica, vel pars ejusdem, sive regio integra sit, sive insula, sive civitas, sive pagus, sive civitatis cujusdam partes quædam h. e. collegia seu corpora Doctorum, seu artificum &c. voci priorem significationem demant & aliam indant; eâ si omnes utantur, vel major pars, pro propria habetur. Hoc absurdum non est, sed frequens & usitatum, ut vox, quæ antea metaphorica fuit, reddi possit propria seu κύρια. Quapropter si communi loquendi usu hodienum significatio alicujus vocis distincta à propria recepta est, ea proprietati illi, quam ante habuit, præferenda est. Nam non minus penes nos omnes hodie est vocibus significationem indere, quam fuit penes priscos. Verè itaq; *& solidè jurisconsulti Romani docent verborum proprietatem vinci à communi consuetudine.*

XII. Quotiescunq; itaq; legem interpretamur, recipienda est illa significatio, quæ apud omnes illos valet, quibus lex scripta est; alijs enim scribi non potuit, quam illis, qui istius significationis gnari fuerunt. Si itaq; toti Reipublicæ seu integræ alicui nationi in certa aliqua lingua; illa significatio recipienda, quâ singuli illi in illa Republica utuntur; Si parti Reipublicæ, præsertim de certis aliquibus rebus, quibus denominandis peculiares voces impositæ sunt, tum illa rursus significatio sumenda est, quâ

ſinguli ejus ſocietatis utuntur. Nam ſupponimus legem haud fruſtra loqui, & per conſequens ita; ut omnes, quos obligatos vult, intelligere queant. Vt autem hoc fiat, neceſſe eſt, ut ſumat voces, quemadmodum plerumq; ab ijs ſumuntur, quibus leges fert. Semper enim in Philoſophia civili ſpectamus id, quod plerumq; eſt, niſi peculiaris ratio diverſum ſuadeat, ut ſupra ſatis præfati ſumus; quo præmiſſo ità argumentamur. Id quod plerumq; eſt, ſemper eſt ſumendum. Hæc major eſt veriſſima, & fundamentum continet totius Philoſophiæ civilis, ut ſæpius dictum. Sed omne vocabulum, habens ſignificationem, quæ ab omnibus, ſeu majore parte frequentatur, eſt id, quod plerumq; eſt, E. etiam ita eſt accipiendum, niſi ratio peculiaris aliud ſuggerat. Ita autem eſt κύριον ſeu proprium. Minor itidem ex ijs, quæ antea dicta ſunt, perſpicuè patet. Id verò, quod addidimus, itidem ex ijs, quæ ſuprà præmiſimus, luculente demonſtratum eſt, ubi dicebamus rectè interdum à proprietate poſſe recedi. Firmiter itaq; oſtenſum eſt, præcipuè Proprietatem verborum in LL. interp. attendendam eſſe, niſi ratio peculiaris contrarium quid ſuadeat. Quæ qualia illa ſint, ſuprà aliquo modo attigimus, & infrà pluribus demonſtrabimus.

CAPVT XIV.

DE VSV LOQVENDI COMMVNI.

Ex quo ſuprà proprietatem deſumi debere diximus. Diſquiritur in hoc capite, unde nam is nobis innoteſcat tum in vernacula, tum in aliis linguis, quæ extrà eam ſunt. Vtrobiq; haud leves apparent difficultates; quæ quo modo ſuperari debeant & poßint, ſimul oſtenditur.

I. Hacte-

HActenus ostendimus dandam esse necessariò quandam κυριώτητα, seu, ut nos loquimur, proprietatem. Item quid ea sit; porrò unde ea desumenda; Item quod aliqua sit omnium illorum, quibus lingua aliqua communis est; Et quod aliqua sit eorum, qui nonnullas voces peculiares habent, quales termini artis seu technici esse solent, quæ attendenda, nisi ratio peculiaris contrarium suadet. Iam porrò disquirendum, unde nam usus communis loquendi nobis innotescat? Sanè in linguæ vernaculæ plurimis vocabulis nullius difficultatis res videtur, neque tamen in omnibus. Mirum videri posset nos vernaculæ vocum proprietatem ignorare: Sed certè, si verùm fateri velimus, plurimæ in nostrâ linguâ nobis sunt incognitæ. Frequens hoc est in ijs populis, qui communiter ornatum orationis affectant, quales Gallos & Hispanos scimus; qui, cum sine metaphoris haud haberi possit, necesse est, ut multas tales adhibeant; quas si plures crebrò usurpant, alter alterum æmulantes, fit, ut alij, & quidem benè multi, metaphoricè voces usurpent; alij verò illo modo, quo antea apud singulos valebant. Hinc efficitur, vel per diuturnitatem temporis, vel per loquentium multitudinem, ut haud facilè dignoscere queas, quidnam proprium, quidnam metaphoricum sit. Fieri potest, ut ab utraque parte sint sapientes, qui ità usurpant; Item ut ab unâ parte solùm sapientes, ab altera solum imperiti. Item ut ab unâ parte plures, ab altera pauciores quidem, sed sapientiores. Quæ omninò contingere possunt & quotidiè quoque contingunt. Quo casu si non in certi, saltem dubij reddimur de proprietate. Neque facilè est dicere à majori parte esse standum; cum non facile nobis de eâ constet, & licet constaret, imperiti sunt fortè; à quorum

judicio proprietatem ſuſpendere abſurdum videtur. Hæ difficultates occurrere poſſunt in linguâ alicui populo vernaculâ.

II. Nullam autem aliam regulam æſtimandi proprietatem deprehendere licet, quam multitudinem uſurpantium, quæ ſpectanda non ſolum in tota aliquâ linguâ, ſed inſuper incertâ aliquâ ſocietate artificum, vel docentium, & *ut quo ſignificatu plures accipiant, is κύριος habeatur; Si diſcrepant, pro peritis pronunciandum; ſi etiam hi, pro peritioribus*, ſi & hi, *pro peritiſſimis*. Sed difficillimũ judicatu eſt, quis peritior, qui peritiſſimus. Is enim, qui judicium ſibi de his arrogat, conſtituit ſe ſuperiorem omnibus illis, quod arrogantiæ inſignis eſſe videtur. Imò ſcire nullo modo poteſt, eſſe quem peritiſſimum, niſi ipſe eandem peritiam habeat. Quapropter minimè nullius vel laboris difficultatis res eſt, inquirere proprietatem verborum, etiam in vernaculâ.

III. Quantò longè difficilius id judicabimus in linguâ, quæ neque nobis vernacula eſt, neque cujus uſus adhuc communis eſt, ſed ſcriptis ſaltem conſervatur, quod præſtantiſſimis omnium hodiè accidit. Nullibi enim neq; Hebræa, neq; Græca, neq; Latina purè in communi uſu loquendi verſatur; quarum tamen proprietates noſſe non ſolum Theologis, Iurisconſultis, ſed etiam Philoſophis maximè intereſt. Non putaverim enim ullâ ratione S. ſcripturam, aut Ariſtotelem, aut corpus juris civilis dextrè explicari poſſe, niſi de harum linguarum proprietate probè conſtiterit, ut infrà pluribus docebitur. Dixi rem non carere dubio. Quin enim illi, qui ſcriptis aliquid conſignarunt, non crebrò adhibuerint metaphoras, nullum penes me eſſe poteſt dubium. Eleganter enim ſcribere volunt & ſplendorem orationis affectant, quem ſine meta-

phoris

phoris impossibile est habere, ut docet Aristoteles tum *lib. de Arte Poëticâ* tum *lib. 3. Rhet.* Faciunt id alij simili modo, & non easdem (quod majoris difficultatis est) sed diversas voces ad alias res transferunt. Imò frequentatur hoc fermè ab omnibus, qui monumenta posteritati relinquere student. Et fieri potest, ut à pluribus scriptoribus simul sumptis maxima pars vocum in illa linguâ, qua scribunt, sit translata; scil. diversæ à diversis. Quo casu difficulter discernendum erit, hanc esse propriam, aut hanc, aut illam, præsertim si numero usurpantium destituaris. Metus enim subest, an non hic propriè, an non is, an non tertius usurpaverit. Regula enim seu mensura proprietatis est usus loquendi communis; hoc autem destitueris: Ergo & ipsâ. Quod si itaq; in illâ linguâ plura scripta super sunt, hæc difficultas oriri potest, *cui opponimus numerum usurpàntium*, in unâ eâdemq; significatione.

IV. Quo casu requiritur, ut is, qui de eâ judicare velit, omnes illos legerit & numerum illum jam effecerit. Si pauca sunt, aut discrepant, aut non; si hoc, omnia erunt propria; si verò discrepant; aut in omnibus, aut in aliquibus; Si in omnibus, nihil certi haberi potest; si in aliquibus; quoad illa tantum erit incertitudo, reliquis manentibus proprijs: quamvis fortè in se, seu ex primâ impositione non fuerunt talia. Consuetudo enim tum quasi est, quia singuli utuntur. Haud levibus itaq; difficultatibus constringuntur illi, qui leges in aliâ quam vernaculâ linguâ scriptas interpretantur, præsertim cessante omni usu loquendi, & in scriptorum elegantium vel multitudine vel varietate. Ex quibus se optimè expediet, si sequatur illorum vocabulorum significationes, quæ apud plures occurrunt, & si haberi possunt, apud plurimos. Hæc enim tutissima via est; quia propriæ sunt, quibus aut omnes,

aut major pars utuntur: præsertim in illis, quæ omnes illius linguæ participes concernunt; in his enim solam pluralitatem valere rectè dixerim. In ijs verò, quæ ad artes spectant, rectè peritiam prætulerimus, ut quæ vox à peritiore est profecta, eò melius & significantius etiam artis res exprimere possit, & per consequens plerumque à pluribus usurpetur. Vnde autem illa præstantia arcessenda sit, difficile dictu; sanè aliquid fidei humanæ tribuendum est, & illos præstantes habeamus, quos consentiens fama tales prædicat, præsertim si etiam à præstantibus tales habeantur. Quæ tamen omnis res plurimis difficultatibus haud caret. Emergit hic satis ille certitudinis defectus, de quo supra prolixè præfati sumus. Interim quoniam major haberi non potest, sufficit eam non ignorare, & scire quibus fundamentis nitatur. Hæc ità ex rei naturâ demonstrari possunt.

CAPUT XV.

DE CONSENSU ICTORUM ROMANORUM circa ea, quæ proximè præcedentibus Capp. tradidimus.

Proponuntur aliquot ICtorum opiniones de proprietate, Gallinij, Baldi, Cæpollæ, Andreæ Alciati; quorum aliæ refelluntur, aliæ verò laudantur. Inprimis vero illa quæstio enucleatur, num proprietas definitio sit, aut à lege peti debeat, & ultimò an ab Etymologia; quod præter rationes etiam autoritate Varronis negatur.

I.

ANteq; porrò progrediamur in contemplatione propriorum, ostendemus, quam proximè ad hæc accedere

dere juris Romani interpretes. Sufficiat verò unum & alterum adducere, ne nimium excrescat dissertatio. Et primò ijs gemina habet, quæ supra ex Aristotele *lib. de arte poet. cap. 21.* de divisionibus nominum attulimus, Camillus Gallinius ICtus Ticinensis *lib. 1. cap. 6. de verb. sign.* Cujus hæc sunt verba. *Verborum* (sumit autem verbum ita ut nomen etiam includat) *autem varia sunt genera, quædam enim sunt posita, quædam innovata; Posita verba sunt, ut scribit Aurel. David. cap. 5. huius tit. ex Cic. lib. 3. de Orat. quæ non ipsi induximus, sed ab alijs autoribus formata vel inducta accepimus. Innovata autem verba sunt, quæ nos ipsi facimus, seu quæ à nobis fiunt vel gignuntur. Rursus positivorum verborum, quædam nostratia sunt sive latina, quædam sunt externa seu peregrina. Peregrina reputantur ex quâcunq; aliâ gente quam Romana vel Latinâ, Hebraa, Græca, Chaldæa Germanica; Francica, Hispanica, Africana, & id genus cæteris, quibus stipulationes, Testamenta & reliqua huius generis humanæ actiones, modo per interpretem, vel alias verba intelligantur, perfici atq; absolvi possunt l. 12. §. ult. de verb. obl. l. Græcè de Fideiuss. §. in hac re vers. utrum 1. de verb. obligat. l. hac consultissima in fin. C. de Test.* Pergit is post multa interjecta in eod. cap. *Nostratia vero seu Latina verba sunt, quæ ex urbe, seu Romano eloquio originem traxerunt. Ea porro in alias species deducuntur, videlicet in usitata seu prisca, in ambigua vel obscura, ficta, translata, propria & impropria.* Horum quodlibet in hoc capite describit, cui hic non immorabimur. Saltem considerabimus quidnam de proprijs dicant, addituri postea de singulis. Et miram hic autorum, qui circa leges Romanas versantur videre licet dissensionem, quorum tamen nonnullos conciliari posse speramus; de omnibus vero affirmare non possumus.

II. Baldus in l. ult. columm. 5. vers. e contra vero *sub-*

num.

num. 35. in 14. quæst. C. de hæret. Instit. inquit, *Propria significatio seu propria locutio* (his enim duabus tanquam synonimis utitur *) est apertè loqui secundum propriam & subjectam materiam.* Hoc fortè vult dicere Baldus. Quicunq; locuturus intelligi vult, is loqui debet ijs vocibus, quæ idem & certum quid apud omnes illius linguæ homines significant; alias intelligi non potest. Nemò aptè loqui potest, nisi hoc modo voces capiat. Qui ergò aptè loquitur & secundum propriam & subjectam materiam, is voces hoc modo sumit, nempè quo rem certam apud omnes significant. Hoc autem est propriè loqui, cum id suprà definierimus, quo utuntur singuli. Ergo Baldus si vim sententiamq; ejus spectes idem planè nobiscum vult. *Oportet enim rebus, de quibus loquimur* (pergit) *cognitos, familiares, & consonantes esse sermones; ut habetur 1. Eth. Arist.* Quæ quidem vera sunt, & prout verba jacent huic rei probandæ sufficiunt, cum nos supra non aliâ usi simus probatione; sed mens Aristotelis lib. cit. longè diversa est, & ad hoc probandum nullo modo allegari potest. Agit enim ibi Philosophus non de proprietate vocabulorum, sed de certitudine Philosophiæ civilis, quæ tanta non est, quanta in Mathesi, aut alijs disciplinis speculativis. Quem locum nos supra etiam attulimus ad hoc idem probandum. *Et hoc* (pergit porrò) *dupliciter accidere,* ait, *vel quia utimur vocabulis significantibus & aptis ad significandum, ut debent significare; vel quia intellectus communis gentium sic intelligit. Nam communis intellectus vocabuli omnes signicationes præponderat, & per quas causas significationes natæ sunt h. e. per communem intellectum, per easdem mutari, minui, & augeri possunt l. librorum §. quæ tamen Cassius de legat. 3. & arg. l. de quibus d. legibus &c.* Haud constat, quare Baldus loquatur disjunctivè; fieri enim potest, ut vocabulum aliquod sit satis aptum

ad a-

ad aliquid significandum, neque tamen sit proprium; ea enim, quæ bene transferuntur, sunt optimè significantia, præsertim apud eos, qui artem dicendi callent; sed non sunt propria; quia non utuntur singuli. Deinde si per gentes intelligat omnes homines in universum, fallus est; Talia enim vocabula non dantur; neque eorum, ut ipse loquitur, intellectus. Si autem eos intelligat saltem, qui alicujus linguæ sunt participes v. g. Gallos, Germanos, Bohemos &c: optimè dicit. Hæc enim & nos supra demonstravimus. Nondum tamen liquet, quare disjunctivè loquatur. Quæ enim voces apud omnes (ita intelligo gentes) ejusdem linguæ participes, valent, eæ sunt propriæ, & per consequens maximè significantes, & aptæ ad significandum. Quæ potius affectio quædam est propriorum, seu *κυρίων* vocabulorum. Itaque benè quidem sentit Baldus, sed non definit.

III. Bartholomæus Cæpolla ICtus Veronensis in rubr. de verb. sign. num. 3. illustraturus Baldi sententiam, ait: *Verificari debent sermones secundum communem opinionem hominum habentium intellectum per text: in l. si itaquis, ibi, quod utiq; nemo sanus probabit de Evict.* Sed ut obscurè proferuntur, ita si dextre explicentur, huc facere possunt. *Ita verba seu voces intelligendæ sunt, quemadmodum intelligunt omnes, qui* (scil. ejusdem linguæ homines) *habent intellectum,* h. e. quo sensu utuntur singuli, sic enim proprium definivimus. Verum haud constans sibi idem Cæpolla ait, *propriam significationem esse definitionem juxta Gl. in l. non aliter de leg. 3. in vers. ad definiendum. Vel eam esse propriam verborum significationem, quam lex dat ipsi voci, ut in l. propriè & in l. Servi de v. S.* Quam assertionem repetit qq. in exord. Rub. sub num. 39. & seq. additq; etiam illam, quæ assumitur ex derivatione, vel allusione, esse propriam; sed quan-

 do al-

do allusio repugnat, tunc propriam significationem assumi ex definitione, ut notat Bart. *per illum text. in l. 1. §. 1. ex quâ re. de Tutel.* Quæ sententia quoniam pluribus est communis, ideo in ejus veritatem inquirendum.

IV. Repetimus hic, quod suprà demonstravimus, interpretationis præcepta haud esse desumenda ex legibus positivis, ne in infinitum tandem abeamus; sed ex jure quodam, quod est immobile, quale dicimus naturæ. Probationes itaque, quas interpretes Romani ex legibus congerunt, haud nobis oberunt. Imò plurimæ non ex legibus desumuntur, sed tanquam exempla in Legibus comprehensa adducuntur. Quò collimant ferè omnes legum cumuli, quos Interpretes coacervant. Quapropter nos, relictis ijs, ex principijs rectæ rationis progrediemur. Explicandum verò primò est, quidnam velint ICti Romani, quando dicunt propriam significationem esse definitionem; Neque enim hæc ità simpliciter intelligi possunt. Sanè proprietas vocabulorum, ut ex antecedentibus constat, ex usu loquendi, qui etiam vulgo communis est, & dependet & æstimatur: definitiones verò, utpote explicationes essentiarum solis eruditis & peritis notæ. Hi soli enim in illas inquirunt. Præterea poterit quis nosse proprietatem alicujus vocabuli, nec tamen ejus rei definitionem, Exemplo rustici, qui vocabuli, *equi*, proprietatem non ignorat, sed definitionem, *equi*, haud novit. Porrò proprietas vocabuli neque essentiam rei exprimit, neque ex eâ fluit, quamvis, ut supra dictum, concedamus, eam res quodammodo imitari (sc. secundum accidentia quæ sensus incurrunt): ast definitio, si vera est, circa essentiam occupatur. Quapropter definitio & proprietas, seu propria significatio haud erunt idem.

V. Tentandum erit, num fortè hic sensus sit, *ex defini-*

definitione vel pendere eam, vel investigari posse, vel cognosci. Quod quidem diffiteri haud possumus. Si enim dubium incidat de quodam vocabulo, quænam ejus propria significatio sit, nec ne: Certè prius de re, quam denotare dicitur, constare debet. Si enim & de ea ambigimus, nunquam de significatione vocabuli propria certi esse possumus v. gr. si dubitetur, num lupus salictarius sit vocabulum proprium nec ne; prius de re, quam denotare dicitur, convenire necesse est; si tu enim putas significare illam herbam, quam nos lupulum alias vocamus; ego verò lupum sallarium, haud pronunciari poterit, num proprium, num improprium. Est enim proprietas respectivum quid sc. ad res, quarum respectu proprietas dicitur. Res autem nobis innotescunt per definitiones; si enim ignorares, quid sit lupulus, Hopfe/ Item quid sit lupus sallarius, gesaltzen Hecht/ definientur, seu describendum etiam horum quodlibet erit, ut scias, quid velim. Cognito, quid quæq; res sit, nondum tamen constare potest, num vocabula ejus sint propria, an impropria. Quod ut tibi innotescat, necesse est ut cognoscas, num omnes, aut major pars eo significatu, de quo sermo est, utantur. In hoc enim unicè consistit proprietas. Quare definitio hoc casu quidem haud inutilis est, ut ex eâ cognoscatur, quænam res, & quid sit, cujus vocabulum proprium inquirimus; sed ut perspicuè patet, in eâ proprietas minimè locanda est. Quapropter definitionem haud esse proprietatem manifestum est: sed eam non inutilem esse ad eam cognoscendam, rursus palam est. Quod innuit ipse Cæpolla, dum ait l. c. *Quando allusio repugnat definitioni, tunc propriam verbi significationem assumi ex definitione.*

VI. Deinde eam propriam esse significationem asserunt, quam lex dat, voci. Quam sententiam plures ex In-

terpretibus defendunt. Nos supra demonstravimus, legislatorem non alijs vocibus loqui, quam quæ vulgo in communi consuetudine frequentantur. Quapropter & eædem non aliam significationem habere possunt, quam eam, quæ vulgò obtinet. Quod si hoc est, lex proprietatem vocibus largiri non potest, h. e. communem usum loquendi, seu ut singuli utantur; sed contra lex potius accipere vocabulum tenetur, prout à singulis accipitur. Ita quidem tum lex voci dat proprietatem, sed quam ante habuit. Aut si lex, aut ejus legislator omnino non velit, vel à novis, aut recens fictis, vel à positis jam, seu translatis vocabulis abstinere, tenetur simul definitionem nominalem adijcere, quo de sensu eorum omnibus constare possit. Quo casu nullum est dubium, quin lex voci quandam proprietatem imprimere possit. Sed hoc rarò fit, imo frequenter fieri non debet, ad evitandam obscuritatem, quæ aliàs in ll. oriri posset. Imò illa ipsa verba, quæ explicationis gratiâ adijcit, debent esse propria, h.e. intelligi in eo significatu, quo apud omnes sumuntur. Itaque ut sæpius dictum, etiam vocab. legis proprietas, ex usu loquendi æstimanda est, nisi speciale nomen legislator adhibuerit, cujus definitionem nominalem adjunxit, quod cum rarò contingere soleat, nos verò id quod plerumque est sumimus, per hoc ipsum proprietas definienda nō est.

VII. Neque porrò id *proprium erit, quod plenè demonstrat intellectum loquentis*; hoc enim etiam per elegantes metaphoras fieri potest. *Nec illud erit, quod simpliciter & non secundum quid h. e. quod sine aliqua adjectione pronuntiatur absolutè* ut docet Baldus *in l. si non speciali c. de Testamen. Col. pen. & fin.* Potest enim hoc idem fieri in ijs, quæ non sunt *κύρια* seu propria.

IIX. Andreas Alciatus jurisconsultus Mediolanensis

nensis de Legum Rom. interpretatione aliàs optimè meritus lib. 1. de V. S. sub initium eleganter disserit de verborum proprietate, adeò, ut cum omnibus illis, quæ suprà demonstravimus, jucundâ consensione conspirare videatur. Dicit verò ex Fabio Quintiliano lib. IIX. *Primus cujusq; rei intellectus est sua uniuscujusq; rei appellatio.* Sanè si vocabulum aliquod proferatur apud ejusdem linguæ participes & apud unumquemq; eorum primò eundem gignat conceptum, is κύριος est. Signum enim est, eodem omnes uti. Hoc autem proprium est. Pergit paulò post. *Secundo modo dicitur proprium inter plura, quæ sunt ejusdem nominis, & unde cætera sunt deducta : ut Vortex contorta in se aqua vel quicquid aliud similiter vertitur : inde propter flexum capillorum pars summa capitis, itemq; summi montes, propriè tamen ad aquam refertur (3) cum res communis pluribus, in uno aliquo nomen habet eximium, ut cum tabernaculum Ducis Augustale appellamus & tabernacula principium militiæ lex propria appellat l. officium §. fin. ff. de re milit. & veteratores & novitios pro servis l. fin. ff. de AEdilit. Edict. Hinc proprium etiam illud dictum arbitramur, quo nil inveniri possit significantius, ut quum Celsus inumbratam quietem furiosi dixit, qui in conspectu sanæ mentis videbatur : ad speciem pertinet, quum aliqua res speciali sibi nomine & communi cum alijs appellari potest ; nam quod peculiare sibi est, id eius proprium ; ut quum adulterium in lege julia cum uxore aliena dicimus, propriè dicimus ; cum stuprum, quia etiam cum virgine, vidua, puero, meretrice committitur, καταχρηστικῶς loquimur.* Hæc Andreas Alciatus, quibus præter album calculum addere nihil possumus. Omnia enim egregiè cum ijs, quæ antea ex Aristotele demonstravimus, conveniunt. Ita enim hic modos propriorum recenset, ut quasi commentarium ad verbum τὸ κύριον scribere videatur. In secundo modo intelli-

intelligit æquivoca, quorum id, quod eandem significationem apud omnes habet, proprium dicitur, ut Vortex de aqua. In tertio analoga intelligit, quorum itidem illud, quod apud plures seu singulos eandem significationem postulet, proprium. Eodem modo dicendum est de eo, quod significantius est (h. e. à pluribus in hac significatione usurpatum) & quod peculiarius est : hæc enim omnia propria sunt, ut ex definitione nostra facile demonstrari potest.

IX. Ne omnia excutiamus, opinionem Andreæ Gammari, Aurelij Savij, & Ludovici Alvari sponte prætermittemus. Nimis enim longum prolixumq; foret in singulorum opiniones inquirere. Dispiciendum jam erit, num ab Etymologia proprietas desumi possit; sed rectè Laurentius Valla eam esse fallacem, & in primis, nisi fideli fundamento innitatur, frivolam. Etenim fieri potuit, quod vocabulum aliquod, cujus significatio apud singulos invaluit, casu & temerè fuerit inventum sine ullo consilio : hoc sanè erit proprium, cum omnes utantur, sed non habebit rationem nominis h. e. Etymologiam; jam verò deficiente eâ, etiam proprium non erit, quod tamen contra videmus. Fieri porrò potuit, ut habuerit, sed deleta sit propter vetustatem, aut per contrarium usum ad aliam significationem vocabulum sit translatum, ut absurdum sit ex Etymologia de ea judicium ferre. Quapropter quamvis non negemus interdum occasionem præbere Etymologiam, ad investigandum, quænam significatio vocabuli primæva fuerit, si certi sumus, id ratione aliqua à prudenti esse inventum, sed illa significatio multis modis potuit mutari, & sic non inquirimus proprietatem, quæ nunc est, sed quæ olim ejus significandi vis fuit, quæ hodie impropria esse potest. Quapropter

plurimi

plurimi nostrorum interpretum imbecillum hoc & elumbe argumentum fatentur, quod ab Etymologia ducitur. Audiamus Varronem studiosissimum harum rerum prudenter ad modum differentem *l. 4. de ling. lat. in Pr. Non omnis impositio verborum extat, quia vetustas quosdam delevit; nec quæ extat, sine mendo, omnis imposita, nec quæ rectè est imposita, ità manet. Multa enim verba literis commutatis sunt interposita, neq; omnis origo est linguæ vernaculis verbis & multa verba aliud nunc ostendunt, aliud ante significabant.* Ita eleganter judicat κυριότατος verborum indagator Varro, cui meritò fasces submittimus. Quapropter haud ab Etymologia proprietatem desumendam esse statuimus, sed tamen eam non omnino esse contemnendam.

CAPUT XVI.

DE PROPRIETATE TERMINORUM TECHNICORUM SECUNDUM ICTOS ROMANOS.

Et quid faciendum, si pugna inter Autores reliquos & Ictos oriatur.

I.

EOdem modo juris Romani interpretes, non tantùm illarum vocum, quæ omnibus linguæ ejusdem consortibus communes sunt, proprietatem quandam dari affirmant, ut jam vidimus: sed in super earum quoq;, quæ certæ alicui societati sunt peculiares, quales sunt termini artis, seu technici, ut vulgò audiunt. Hi termini saltem inter eos, qui artem illam callent, communes sunt. Neq; nobis quoq; oberit, quod suprà diximus, Leges iisdem vocibus uti, quibus vulgò loqui solemus: horum enim termi-

terminorum usus non ad singulos, sed ad interpretes pertinet; neque ab omnibus sciri debent, alias omnes essent interpretes. Quod absurdum est. Itaq; termini illi technici noti inter jurisconsultos, inter eosdem quoque frequentari debent. Quod autem in corpore juris civilis interpretationes legũ XII. Tabb. Edictorum, Senatus consultorum, Plebiscit. & Edictorum Prætoris, quæ leges propriè erant, à Iurisconsultis factæ, à Iustiniano legum vim accepêre, & perinde observandæ sunt ac leges, id per accidens est. Sanè quin non eo contineatur ars juris, seu prudentia juris, nemo facile negabit. Et impossibile est nostros cives, qui in Republica Romana Germanica vivunt, omnes has leges scire posse: etenim & multitudo & lingua, quâ perscriptæ sunt, id impedit. Imò si omnes eas tenerent, jam omnes essent Iurisconsulti. Quapropter etiam dantur quædam peculiaria vocabula, quæ à Iurisconsultis solis frequentantur, & quorum proprietas à nemine, nisi auctoritate prudentium, & si haberi possunt, prudentissimorum desumenda est.

II. Ita de hac re scribit Camillus Gallinius Ticinensis *lib. 2. c. 2. de V. S. Ab auctoritate*, inquit, *tametsi dicat Bartol. & Dd. communi consensu, in d. l. omnes populi ff. de I. & I.* concludere, propriam præsumi significationem, in eamque sententiam refert concessisse Alciat. lib. 1. & 2. de V. S. tamen &c. paulo post ità pergit. *Non negat ille tamen, quin ea honoris prærogativa præcedentibus Auctoribus tribuenda sit, ut in dubijs eos proprijs & positis verbis locutos fuisse teneamus, ut quâ significatione usi ipsi sint, eâ quoq; nos uti valeamus, quod maximè verum esse ait, cum de verbis agitur, quæ rerum naturalium non sunt, sed artium. Quia omnis scientia & unaquaq; ars sua habet propria vocabula, teste Cicerone lib. 3. de fin. bon. & m. circa initia. Qui itaq;, inquit, Dialectici

lectici & Physici verbis utuntur, quæ ipsi scientiæ nota sunt. Geometræ verò, Musici, Grammatici etiam more quodam loquuntur. Item ipsæ Rhetorum artes, quæ sunt totæ forenses atq; populares, verbis tamen in dicendo quasi privatis utuntur ac suis. Ac omittam has artes elegantes & ingenuas, ne opifices quidem tueri possunt sua artificia, nisi vocabulis uterentur nobis incognitis, usitatis sibi; quin etiam Agricultura, quæ abhorret ab omni politiori elegantia, tamen eas res, in quibus versatur, nominibus notavit suis. Vnde cum aliud non apparet, credibilius esse, ait, eos, qui artem aliquam ex actè percalluerint, aut ejus summi vertices extiterint, & verbis ad eam artem accommodatis usos fuisse, & in eadem propriè recteq; locutos fuisse.

III. Idem Gallinius *l. 2. c. 7* parallela nostris scribit, quibus non possumus non suffragari. *Num. enim 10.* ita ait. *Quantum ad auctoritatem antiquorum jurisprudentium, ego transeo cum Bart. Bald. & cæteris supra relatis, ut in dubia voce, quâ usi fuerint ad rem aliquam significandam, rectè & propriè censeantur esse usi. Cum enim tanquam legalis scientiæ periti & approbati ab antiquis Rom. Imperatoribus legis condendæ auctoritatem habuerint* (duriusculè loquitur) *l. 2. §. post originem vero §. Iuris civilis scientiam. ubi Zasi. & Cagnol. de origine juris & §. responsa—prudentum gloß. & doct. omnes notant. Instit. de I. natural. Gent. & Civ. non est dubium, quod eorum auctoritas opportunum erit instrumentum invehendæ propriæ significationis, quandoquidem ab illorum dictis sic valet argumentatio vel consequentia. Celsus Iurisconsultus, vel Vlpianus, Scævola, Paulus sic dicunt. E. ita est.* Possent plurimi textus ex corpore juris ad duci, quibus probare possemus Iurisconsultos ipsos veteres auctoritate sæpè antiquiorum vel proprietates vocabulorum probasse, vel etiam totius causæ decisionem exinde petiisse. Sunt, inquam, loca non pauca, quibus tamen congerendis tempus haud impendemus.

Sufficiat idem nobiscum statuere Iurisconsultos Romanos.

IV. Hactenus de proprietate vocabulorum nonnulla diximus, cum ijsque Romanorum interpretum effata convenire monstravimus. Iam porrò in naturam propriorum inquirere lubet. Et verò antea ostendimus eam solummodò in usu loquendi communi consistere, & quod terminos artis concernit, in auctoritate eorum, qui artem illam callent. Quamdiu itaque usus ille durat, tamdiu quoque natura propriorum perseverabit; quo mutato & illam subverti necesse est. Et quâ ratione periti vocabulis artis seu technicis usi sunt, eà ratione à nobis quoque accipiendi erunt. Cum verò vocabulorum ea sit natura, ut aliquod inter significata sua habeant eximium, seu principale, ad quod significandum primò sunt imposita; respectu illius vocabulum dicitur κύριον. Quod si alia plura significata ipsi attribuantur, non κυρίως, sed ἀκύρως h. e. impropriè significabit: Quapropter omninò requiritur, ut, si velimus judicium ferre de reliquis significatis, nobis prius constet de principali; hoc enim ante omnia inquirendum est. Quod quoniam in frequenti usu singulorum consistit, is indagandus est; qui si ex scriptis hauriendus, is habendus, qui à pluribus usurpatur. Hinc patet omnes scriptores alicujus linguæ legendos esse ab eo, qui illius proprietatem addiscere vult. Idcirco ingens aperitur campus studioso legum Romanarum. Perlegendi enim ipsi erunt omnes autores linguæ Romanæ: alias impossibile est, eum habere posse proprietatem; sine qua tamen frustraneo ausu leges interpretari conabitur, quemadmodum suprà prolixè fuit ostensum. Quoniam verò hic inexhaustus fere labor esset, quique non tantùm hominem totum, sed vitam insuper totam requireret, lexica consuli oportet, quæ nobis sic satis proprietatem verborum

borum aperire poterunt. Quæ licet ipsa non semper attigerint, præsumendum tamen est factum id esse in plurimis. Nam omnino ut in alijs multis, ità hîc aliquid fidei humanæ tribuendum; aliàs labor ingens studioso harum legum esset exantlandus.

V. Quod si contingat, ut pugna quædam inter scriptores illos & ICtos de acceptionibus vocum intercedat; si quidem de vocibus contentio sit, quæ in communi vita versantur, potius pro autoribus pronunciarem, præsertim, si plures in idem conspirarent: Si autem de terminis juris, ICtis credendum; si inter hos ipsos, prudentioribus, & porrò prudentissimis; quamvis tempora etiam distinguere haud inutile videatur. Sed quoniam difficile judicatu est, quinam prudentissimi sint, fatendum est, si talis pugna exoriatur, aliquid dubitationis vel incertitudinis subesse, quemadmodum alijs rebus accidit omnibus, quæ fide humanâ nituntur. Neque quisquam prudens majorem hîc exigit, quàm rei natura pati potest, ut supra quoque meminimus.

CAPUT XVII.

DE SIGNIFICATIONE GENERALI, GENERALIORI ET GENERALISSIMA; LATA, LATIORI ET LATISSIMA.

Quo docetur Generalem & latam differre; quodq́ Generalis fere semper sit propria, generalior verò & generalissima mox propria, mox impropria, prout usus peritorum induxit; quodq́ hæ in communi usu loquendi versentur aut numq́, aut rarò. Ostenditur porrò, quæ lata, quæ latior & quæ latissima, & quidnam ex natura rei de illis sentiendum sit.

 I. Quo-

QVoniã una eademq; vox plura habeat significata, propter penuriam earundem; interq; ea semper aliquod principale, fit, ut, una voce prolatâ, plura etiã designentur. Dantur sanè voces, quæ suo significatu semper plura simul includunt, adeò, ut illæ prolatæ non unum, aut alterum saltem, sed omnia simul comprehensa donotent. Occurrunt præcipuè hæ in artibus & scientiis. Hæ enim, cum de universalibus agant, necesse est quoque tales habere voces, quibus maximè talia enuntiamus. Hæ auditæ omnia illa significant, quæ sub illis continentur. Cum autem universalia non sint infinita, sed finita, tentabimus, num numerum eorum in arte nostra inire possimus. Quærenda autem sunt, ut dictum est, talia nomina, quibus plura simul eodem modo ab omnibus & singulis artis peritis enunciantur. Repetendum verò hìc est, quod supra dictum, nempe voces debere imitari res: quoniam verò in scientiis & artibus plures res, ut una, concipiuntur, tales quoque voces dari oportet, quæ res plures & diversas, ut unam, conceptas simul enuncient. Quoniam verò in scientiis & disciplinis eæ res inter se coordinantur, quæ aut eandem habent omninò essentiam, qualia sunt individua ejusdem speciei, vel non quidem totam, sed partem, & quidem vel formalem, vel materialem, quales sunt species ejusdem generis proximi : Quod si enim eadem forma ipsis est, hæc autem nunquam sine materia esse potest: eandem essentiam habebunt, qualia diximus esse individua ejusdem speciei. Genus jam comprehendit omnes species apud omnes, qui artis illius sunt periti. Hinc propriè fieri id dicimus. Quæ enim significatio omnibus & singulis communis est, illa est propria. Atque Genus comprehendere suas species, commune est omnibus illis, qui

in arte quâdam versantur. Ergò id propriè fieri meritò dicimus. *Hinc generaliter concepta lex generaliter quoque, intelligenda est*; Nam suprà demonstravimus proprietatem semper in LL. attendendam esse; Atqui Generalis locutio est propria. Ergo attendenda est, nisi ratio peculiaris suadeat diversum. Quod si ascendamus superiùs ad genus remotius seu superius; tum quia id continet genus proximum, & hoc species, sine dubio etiam continebit has; sed tamen quia id fit per plures consequentias; hinc dicimus eum modum Generaliorem, sive Genere superiorem.

II. Quod si jam ex naturâ rei de Generali, Generaliore, & Generalissimâ significatione loqui velimus, ità progrediendum erit. Omnis illa significatio vocabuli, quod respectu specierum, Genere est superius, dicenda est generalior; quæ verò ità est superior, ut respectu illarum specierum seu generum subalternorum supra se nullum habeat genus superius, illa est generalissima. Quod si jam receptum sit, ut generalissimi generis vox etiam species infimas unà cum omnibus generibus intermediis enunciet, illa generalissima acceptio erit propria. Quod idem dicendum de generaliori & generali. Nam hîc spectatur usus peritorum, à quibus quâ ratione accipiuntur voces generales, ea ratione quoque earum æstimatur proprietas. Sed notandam est hanc significationem in vulgari consuetudine loquendi raro aut fere nunquam occurrere. Nam talis vulgò obtinet, qualis etiam in imperitos cadere potest. Sed cognitio istius subordinationis, qua una res alteri subjecta esse dicitur per ordinem naturæ, non cadit in homines rudes, sed solos peritos. Quapropter judicare de his significationibus solummodo est artificum. Imò neque horum est judicare de omnibus, sed cujusque de sua. Prout enim variant res, ita artes, quæ circa illas versantur:

quibus diversis non potest non diversa earum sequi coordinatio seu respectus; quo ignorato impossibile est de earum vel generali, vel generaliori, vel generalissima loqui significatione. Hoc forte commune omnibus est, quod genus comprehendat species; quid nam autem sit genus in qualibet, quænam species &c. non nisi cuilibet artis perito judicandum relinquitur. Sanè quemadmodum pactum, pacisci, pactio, contrahere, transigere, delinquere, stipulari, novare, constituere, repromittere, delegare inter se habeant, num ut genera, aut species, aut genera remota, vel proxima; aut quomodo istarum vocum significatio capienda, num generaliter, num strictè; & si generaliter, num propriè, num impropriè, nemo, credo, rectius sciet eo, qui longo usu didicit, quomodo usurpentur ab ijs, à quibus tanquam peritis & artificibus profecta sunt; hoc est, solus interpres Romanarum legum de his omnium optimè judicabit. Neque enim ad nostrum arbitrium ea capienda sunt, sed ut ab ijs tradita & usurpata deprehendimus, ità sumenda sunt. Quo posito sequetur Generalissimam significationem interdum propriam esse, interdum impropriam; prout nempe usus peritorum induxit. Quod eadem ratione de Generaliore affirmamus. De Generali videtur ferme ἁπλῶς & simpliciter dicendum, quod semper propriè species suas contineat, nisi peculiaris ratio suadeat contrarium. Præcipua hac in parte exurgit difficultas de illis vocabulis specierum, quorum uni nomen generis adhæret. Cum enim species & genus commune habeant vocabulum; (quod in permultis vocibus frequens esse, nemo nisi imperitus negare ausit) quo prolato ex ipsa vocum potestate haud dijudicari poterit, num genus, vel species veniat intelligenda. Denotat enim utrumq;. Fieri verò potest, à loquente non intelligi utrumque, quod sanè

inter-

interpres vi vocum nunquã internoſcere poteſt. Quapropter ut ſciat, num ſpecialiter, num generaliter capi debeat, materiam attendere oportet, de qua dicetur infrà.

III. Cum autem una vox non tantùm plures res ita inter ſeſe coordinatas ſimul uno ſignificatu enunciet; ſed etiam diverſas prorſus, aut, quæ quidem aliquid commune habent, ſed neque ſe reſpiciunt ut genus, aut ſpecies; aut contra. Sed accidentale quid, aut etiam ut totum & pars. Quæ ſignificatio vulgo apud interpretes & etiam alios dicitur lata. Quod quidem vocabulum quantitativum eſt; deſignat enim partem quantitatis illam, quæ latitudo dicitur. Quod verò tale eſt, ad plura extenditur. E. vocabulum de natura ſua ſeu modo ſignificandi pluralitatem quandam conceptuum involvit. Iam tale vocabulum plura illa ſignificata vel ità habebit, quod res illæ ſibi invicem ſint ſubordinatæ, quemadmodum id in ſcientiis fieri diximus: *vel quod absq; tali ſubordinatione nihilominus cum aliqua ratione vocabulum plura ſignificet: vel deniq; quod nulla ratione id fiat, ſed vel caſu, vel aliqua fortuita cauſa quàvis,* & ſic quidem, ut præter nomen prorſus nihil habeant commune. Si priori modo ſe res habet, dicimus illam ſignificationem generalem, quemadmodum in ſuperioribus expoſitum | ſi autem poſteriori modo, tum ſi certa ratione plura uno vocabulo ſignificantur, vel propterea fit, quod in eſſentia quodammodo conveniant, vel eam participant ſecundum magis & minus; Vel quandoquidem hanc non communem habent, nihilominus ad ſimilitudinem quandam ità dicuntur vel ratione figuræ externæ, vel effectus, vel cauſæ efficientis, vel aliam deniq; ob cauſam. Hi ſunt ferè modi, ob quos vocabula ad plura ſignificanda adhiberi ſolent. Neque nihil faceſſit negotij uſus tum artis, tum popularis. Hos enim ſe invicem excedere notum

eſt.

est. Vsus enim uniùs ejusdemque vocabuli in arte interdum latius patet; interdum verò in populari loquendi consuetudine & contrà. Hi inter se comparati omninò strictam & laxam loquendi rationem patiuntur: quarum interdum hæc, interdum illa præferenda, prout subjecta materia, vel aliæ circumstantiæ exigunt. Contingit hoc quoque in ijs nominibus quæ masculina vulgò audiunt, quæ interdum pro communibus sumi solent, ubi desunt communia. Quandocunq; itaque talis subordinatio rerum datur, tunc si illæ res uno vocabulo denotentur tanquam genera & species, dicimus significationem illam esse generalem, generaliorem & generalissimam, & hanc raò in communi loquendi usu occurrere puto, quamvis non omnem excluserimus. Quando verò plures res uno vocabulo ita exprimuntur, ut ejusmodi sub ordinatio in illis non deprehendatur, dicimus esse significationem latam; si vocabulum id sit analogum vel æquivocum, v. g. vocabulum contractus apud interpretes juris Romani sumitur, ut delictum etiam comprehendat, quod tamen æquivocè contractus est; includit etiam ambitu suo transactionem, pactionem & alia, quæ omnia dicitur significare latè; strictè significat contractum illum, qui ab utraque parte fit mutuo consensu.

IV. Quid autem sit strictè sumi, valde controversum est, Num idem sit quod propriè, num verò idem quod specificè; num aliud denique; res enim valde dubia est. Sanè num strictam significandi rationem generali, num latæ opponas, haud facile dixeris. Si alterutri saltem velis opponi, reclamare videtur frequens usus usurpantium promiscuè; haud temerè enim quemq; reperies, qui hæc discernet; si utrique, res rursus expedita non est: tum enim nullum ampliùs discrimen inter generalem & latam significationem

tionem esse videtur; quod tamen antea asseruimus. Deinde nova difficultas emergit de latiori & latissima, quæ sanè non prorsus nulla esse videtur. Nam quæ latior, aut latissima sit, vix cuiquam constare posse videtur. In illis, quæ secundum aliquam rationem plura denotant res videtur non adeo in certa. Nam quò quid plus rationis de significatu vocabuli participat, id minus latè sumi dicendũ est; quod autem minus, eò latiùs; quod autem minimum, latissimè: in illis verò, quæ fortuitò, seu casu plura denotant (quarũ non sunt paucæ) ratio nulla prorsus apparet. Si enim vocabulum aliquod saltem unam rem propriè significet; plures autem æquivocè v. gr. 3. aut 4. 6. &c. non potest dici; respectu quarum dicatur sumi latiùs, respectu verò quarũ latissimè. Si enim æquivoca sunt & quidem casu, æquali distantiâ à vero significandi modo remota sunt; neque potest dici hoc accedere propiùs, illud verò ab esse remotiùs. Sunt enim, ut posuimus, omnia æquivoca & quidem casu. Quapropter in ejusmodi vocabulis lata, latior, & latissima significatio vix admittenda videtur, ut ut in analogis res non adeo incerta appareat. Quid equidem dicendum sit, fateor, mihi haud liquere. Consulendus est usus loquendi, qui tamen adeo fallax & incertus hac quidem in re esse videtur, ut nihil certi inde dici possit. Plures reperies, qui nunquam non in ore habent, hoc sumi latè, hoc strictè, hoc generaliter &c: quid tamen latè, quid strictè, quid generaliter sumi sit, prorsus ignorant. Et sanè res non est nullius momenti, præsertim in interpretandis legibus, ubi sæpe hæc discernenda occurrent. Quapropter haud inanis opera erit, quæ hujus rei inquisitioni impendatur.

V. Vt tandem dicamus, quid nobis videatur, (salvo aliorum judicio) putamus rem sic decidi posse: stri-

ctam significationem non opponi generali, sed latæ. Illi enim specialem contra distinguimus: cujus loco multi particularem usurpant, quod inde est, quoniam pro generali universalem ponunt. Sed tamen si rem spectamus, idem dicunt; quamvis quod ad voces aliqua differentia esse videatur. Si rem, inquam, spectamus, Generali specialis contra distinguitur; latæ verò stricta, quæ confundi non debent. Si verò usum loquendi consulamus, reperiemus à plerisquè confundi: sed loquamur cum illis, modò veram de re ipsa sententiam sciamus. Præterea vix fieri posse putamus, dari significationem latiorem & latissimam, nisi in analogis; hæc enim quiddam respectivum sapiunt: in æquivocis enim casu omne cessat; in reliquis non prorsus esse nullam jam diximus. Hæ significationes probè interpreti discernendæ sunt. Fieri enim posset, ut vocabulum interdum quamvis generaliter prolatum, non tamen hoc modo significet; quemadmodum & latè, quod tamen strictè & hoc modo, quod tamen latè intelligendum veniat. Consideranda hic est materia subjecta, num favorabilis, num odiosa; num pænalis, num correctoria, num limitatoria, num exorbitans; Item persona loquentis, tum ejus, ad quem sermo dirigitur, & aliæ circumstantiæ, ex quibus mentem disponentis colligi posse infrà dicemus. Nam de mente tutò promittere non possum, nisi ad eam intelligendam aliquo modo verba concurrant. Vbi enim prorsus verba cessant, neque latè, neque strictè, neq; Generaliter, neque specialiter, neq; propriè, neq; impropriè intellecta ad mentem exprimendam adhiberi possunt, de illa nobis planè nihil constare potest, ut audiemus infra. Hinc probè hæc tenenda. Quodnam verò vocabulum vel strictè, vel latè, vel generaliter sumendum sit, colligi debet ex usu peritorum, qui illi plura significata talia imposuerunt: &

qua

qua ratione ab illis fuit acceptum, eâ quoque à nobis erit capiendum. Hinc in interpretatione legum Romanarum usus Iurisconsultorum Romanorum consulendus est. Monemus denuò illa diversa significationũ genera à pluribus confundi; quæ tamen ex natura rei distinctè discerni possunt & debent. Sanè quicquid vocabulum in se continet, id omne regulariter ab interprete est accipiendum. Ast longè diverso modo comprehendit vocabulum ea, quæ tanquam subordinata significat; quàm ea, quæ ut analoga & æquivoca. Pro diverso autem modo comprehendendi etiam diversus exoritur interpretandi. Hinc ante omnia hæc probè discerni debebant. Nos diximus ea, quæ ex natura rei dici potuerunt, haud attendentes eam, quæ vulgò fit, confusionem.

CAPUT XIIX.
DE METAPHORIS.

Quot earum genera, ex Aristotele docetur; quomodo item in legibus, si occurrant, resolvendæ.

I.

HActenus de propriis; sequitur ut nunc de Metaphoris dicamus. Quare autem eæ cœptæ sint effingi, dictum est suprà, quod nolumus hic repetere. Sanè ab omnibus artis peritis asseruntur duæ causæ, nempe, ut suprà diximus, SUAVITAS, si scilicet vox non habet sonum rebus convenientem, à perito convenientior effingitur; aut deniq; necessitas, si res efferendæ sint, quæ nomine carent: hinc enim aut à posita jam mutuari cogimur, aut novam effingere. Nõ possumus, quin aliqua loca M. Tullij Ciceronis asscribam, quæ egregiè nostro proposito servire videntur. Cicero lib. 1. Academ. Quæst. *Dabitis enim profectò, ut in rebus inu-*

sitatis; quod Graeci ipsi faciunt, à quibus haec tamdiu tractantur, utamur interdum verbis non auditis. Nos verò, inquit Atticus, quin etiam Graecis licebit, utare cum voles, si te latina forte deficiant. Et paulo post. *At enim nova sunt facienda rerum nomina, aut ex aliis transferenda.* *Idem de Orat.* ad Brutum. *Neque enim possunt esse rebus ignotis nomina, sed cum verba aut suavitatis, aut inopiae causa transferre soleamus, in omnibus hoc fit artibus; at cum id appellandum sit, quod propter rerum ignorationem ipsarum, nullum habuerit ante nomen, necessitas cogit, aut novum facere, aut à simili mutuari. Et in 3. de Orat. sic ait. Nam si res suum notum & proprium vocabulum non habet, ut pes in navi &c. & divortium in uxore, necessitas cogit &c.*

II. Est autem secundum Aristotelem lib. de arte Poëtica c. 21. translatio seu metaphora *alieni nominis illatio*, hoc est, quantum ex iis, quae suprà diximus, colligere licet, Metaphora est usurpatio vocis in alia significatione, quàm ea, quam vulgò ex impositione habet, non temerè, sed cum ratione. Hoc enim haud fieri debere clamat omnis Rhetorum schola. Hinc tales translationes neque ab omnibus ad omnia fiunt, neq; à nullis: Sed aliquibus, iisq; certis. Quapropter non unius generis sunt. Quaedam enim fiunt à genere ad speciem, aliae à specie ad genus; aliae à specie ad speciem; aliae ab analogia. Cujus rei quidem haec ratio est. Quot enim modis secundum rectam rationem, non ex accidenti, voces à nativa significatione ad aliam transferri possunt, tot sunt species metaphorarum. Ex definitione Metaphorae. Sed quatuor modis non ex accidenti, sed secundum rectam rationem, voces à propria significatione in aliam transferri possunt.

Ergo tot sunt species Metaphorarum.

Minor

Minor hæc constat ex Topicis, quam tanquam hypothesin hic assumimus, neque temporis redimendi ergo in veritatem ejus inquirimus. Quatuor ergo Metaphorarum esse species sic patet.

III. Adducamus ipsa verba Aristotelis. *Translatio est nominis alieni illatio, aut à genere ad speciem, aut à specie ad genus, aut à specie ad speciem, aut secundum proportionem. Dico, à genere ad speciem, ut; Navis autem hæc mihi stetit. A specie ad genus; jam decem millia Vlysses bona agit. Nam decem millia multa sunt, quibus nunc usus est pro multis. A specie ad speciem, ut; ære animum cum hausisset, incidit indefesso ære. Hic enim (haurire) pro incidere & incidere pro haurire dixit: ambo enim sunt quiddam auferre. Proportionem dico, quando similiter se habet secundum ad primum, ac quartum ad tertium. Nam dicit pro secundo quartum, aut pro quarto secundum, & secundum apponit, pro quo dicit, ad quod est. Dico autem, ut similiter se habet poculum ad Bacchum, & Scutum ad Martem. Dicit igitur & Scutum poculum Martis & poculum Scutum Bacchi. Præterea similiter se habet vesper ad diem, & senectus ad vitam. Dicit igitur vesperam senectutem diei & senectutem vesperam vitæ, vel ut Empedocles, occasum vitæ,* Hæc ille.

IV. Quod si leges etiam tali oratione perscriptæ sunt, quæ abundat Metaphoris, nova interpreti oritur difficultas. Hæ enim obscurare solent orationem. πᾶν γὰρ ἀσαφὲς, τὸ κατὰ μεταφορὰν λεγόμενον. *Est enim obscurum, quicquid per translationem dicitur*, inquit Aristoteles *lib. 6. Top. cap. 2.* Imò inquit, ἐνδέχεται δὲ καὶ τὸν μεταφορὰν εἰπόντα συκοφαντεῖν. ὡς οὐ κυρίως εἰρηκε. Non potest enim non conceptuum oriri confusio, si speciem intelligens gen⁹ ponas, & hoc contra, speciem; & porrò hanc, pro hac. Eæ enim, quæ à proportione desumuntur, minus obscuritatis habent, & per consequens tutius etiam adhiberi possunt. Sanè si is sensus

ſumendus eſt ab interprete, qui à diſponente fuit intellectus; nos verò ſuprà demonſtravimus, regulariter proprium eſſe præferendum, non facile Metaphoricus eſt admittendus. Non enim prudens, qui diſponit, hoc uti ſolet. Is enim perſpicuis & in univerſum talibus, quæ ab omnibus, ad quos loquitur, intelliguntur, verbis utitur: at Metaphoræ non ab omnibus capiuntur; ſed ſaltem à peritis. Quapropter præſumimus, diſponentem non facile eas adhibuiſſe; Niſi inter tales diſpoſuiſſet, qui dicendi admodum fuiſſent periti, & ipſe ejus artis non fuiſſet expers.

V. Quod ſi tamen omninò conſtet eum ita locutum eſſe, ab interprete voluntas ejus propterea perverti non debet, ſed quantum fieri poteſt, conſervari. Hinc relictâ verborum proprietate, quam tamen ſequendam eſſe ſuprà diximus, *voluntatem* præferimus, quæ totum conficit negotium. Quæ enim voluntas eſt, ea ab interprete amplexanda. Ejus enim ſaltem eſt oſtendere ipſam, licet dura ſit. Quæ ſi haberi poteſt ex vocabulis impropriis, linguis, Metaphoris; allegoriis (ſupponimus autem certè haberi poſſe) non eſt, quod eam elicere tentemus ex verborum proprietate. Hæc enim eſt propter illam; ſi itaq; eam ſine hac conſequi valeamus, non erit, quare ad eam confugiamus. Hinc patet, *quandocunq; diſpoſitio aliqua Metaphoris eſt perſcripta, illam ità eſſe interpretandam, ut voluntas diſponentis conſervetur.* A nemine verò hoc fieri poſſe dicimus, niſi ab eo, qui ſciat modos transferendi, & noverit etiam diſponentem transferre voluiſſe. Sanè nullius difficultatis res eſt, ſi conſtet diſponentem fuiſſe peritum dicendi, & conſultò talia adhibuiſſe. Si autem hoc dubium ſit, metus ſubeſſe poteſt, ſe voluiſſe mentem ſeu voluntatem ſuam clariùs dicere, nec per imperitiam potuiſſe, & his verbis uſum fuiſſe, non quod id vellet, quod illa ſignificant, ſed quod ea ex

impe-

imperitia ità adhibuerit, quoniam ea ab aliis ità usurpata viderit. Quemadmodum videmus, multa per consuetudinem fieri, quorum illi, qui ea usurpant, non sunt gnari. Testantur id imperiti notarij in confectione instrumentorum, dum quælibet sine omni judicio congerunt, quæ ab aliis scripta unquam deprehenderunt, ut ridiculè exceptiones senatus consulti Velleiani masculis & contra Macedoniani mulieribus attribuere audeant. Idem hoc omnibus disponentibus contingere potest. Quo casu haud certi esse possumus, quænam ipsorum fuerit voluntas, nisi ex aliis ea constiterit.

VI. Si itaq; usu veniat interpreti quoque leges esse interpretandas, quæ Metaphoris perscriptæ sunt, primò omnium *Proprietatem* nosse debet. Hâc ignoratâ impossibile est eum vel Metaphoras intelligere, vel asserere posse, esse Metaphoras. Qui enim nescit hanc esse propriam seu κυρίαν vocabuli significationem, is affirmare haud potest, esse jam ad aliam rem denotandam translatam. Neq; ipsi porrò constare potest, num Metaphora sit sumpta à genere ad speciem, aut ab hac ad illud; aut ab illa ad aliam; aut ab analogia; quibus non intellectis ἐκ τῶν ἀδυνάτων est ullâ ratione ipsum orationis ullum genus explicare posse. Non enim putandum est eundem fore sensum, sive Metaphoram à genere ad speciem, aut contrà ab hac ad id sumptam esse affirmes, sive à specie ad speciem; sed distinctissimi sanè oriuntur sensus. Quapropter necessariò requiritur, ut eosdem interpres benè discernat. Quod si constet ipsi, quænam sit propria significatio, *ea in Metaphoræ locum substituenda est, ut eò clariùs mens disponentis patescat.* Hoc autem à nemine rursus fieri potest, nisi eo, qui artis dicendi sit peritus & naturam orationis probè calleat. Hinc videmus rursum, quantum laboris interpreti exhauriendum sit, ad

supe-

ſuperandam hanc difficultatem; quæ major eſt in illis legibus, in quibus ornatus & elegantia affectatur, minor, ubi hæc eadem non attenduntur, ſed ſimpliciter & propriè loquuntur. Quod ſanè exemplo plurimarum Legum doceri poteſt. Eæ enim leges quæ à ſapientiſſimis populis, vel legislatoribus latæ ſunt, tantæ ſuirt perſpicuitatis, remoto omni verborum fuco, ut à nemine non primo ſtatim intuitu intelligi poſſint. Imprimis eminent hoc dono leges decem illæ a ſummo legislatore Deo Ter. Opt. Max. latæ, quæ ſanè verba vel Metaphorica, vel dubia, vel ambigua inſuper habent omnia. Non longè ab his recedunt eæ, quas Solon Athenienſibus tulit; & ejusdem ſimplicitatis & perſpicuitatis ſunt leges 12. Tabb. à ſapientiſſimis Romanis promulgatæ, à quibus hoc, quod adhuc habemus, jus profluxit omne. Servarunt hunc morem (imò ſervare debent) alii legislatores plerique quamvis non deſint, quibus etiam in ipſis legibus luxuriare oratione placuerit.

VII. Non diffitendum eſt in jure Romano hodierno, quod ex interpretationibus Iurisconſultorum collectum eſt, haud inelegantes, & per conſequens non ſine Metaphoris reperiri leges. Quibus id condonandum eò facilius eſt, quod illas interpretationes, non ut leges, ſed ut explicationes legum 12. Tabb. Edictorumque Prætor. adjecerint: per accidens verò poſtea factum, quod à Iuſtiniano fuerint tanquam leges confirmatæ. Sanè ipſa illa Senatus conſulta, Edicta, quæ quidem in corpore juris civilis ſuperſunt, Metaphoris haud abundant; imò pleraque ſine omnibus his eſſe recte dixeris. Aliter ſe res habet in interpretationibus Iurisconſultorum, qui dum vivebant in populo culto, qui præcipuè orationis elegantiâ gaudebat, naturâ populi ità exigente, ferme coacti fuerunt cum eodem elegantiùs aliquantò loqui: quod inter eos quidem,

dem qui unà vivunt, ejusdemq; linguæ usum participant, & dicendi artis haud ignari sunt, obscuritatis causa adeò prægnans esse nô potest, præsertim si Metaphoræ benè sunt translatæ. Eæ enim facillimæ & uno modo etiam intelliguntur ab omnibus. Si enim ars quædam est transferendi voces, eaque certa, quæ semper unâ eâdemq; ratione nititur, ea ab omnibus istius peritis æqualiter seu eodem modo fieri debet: quod si hoc est, per consequens etiam ita intelligi. Hinc inter eos, qui artis sunt gnari, tanta difficultas esse non potest. Secus est in ijs, qui aliquot seculis post vivunt, linguaq; non communiter utuntur, sed ex scriptis eandem addiscere coguntur; & non semper quæ propria, quæ Metaphorica sit vox, discernere possunt: ibi enim major difficultas oritur. Nullam enim dispositionem explicari posse sine proprietate verborum, suprà dictum; hæc haberi non potest sine usu communi loquendi; in hoc enim illa consistit; hic, si lingua amplius in usu non sit, unicè ex consensu scriptorum desumi debet. Hinc sequitur omnes autores illius linguæ esse perlegendos, cujus leges quis interpretari conetur. Neq; tamen tum sine omni difficultate res erit. Hinc colligere licet, quantum laboris Iurisconsulto Romano sit subeundum, si hæc omnia sibi parare debet, absque quibus tamen nullo cum fructu in legum illarum interpretatione versabitur. Hinc is, qui aliquando eas interpretandas sibi sumet, necessariò non tantum accuratam linguæ Romanæ cognitionem parare debet, sed insuper, quantum fieri potest, propria vocabula summo studio colligere, tum ea quæ in communi consuetudine versantur, & à nostris dicuntur *naturalem significationem* habere; & ea, quæ Iurisconsultis tanquam interpretibus propria sunt, quæ *civilem* habere dicuntur: & prætereà artem transferendi seu orationem elegantem efficiendi

ex fundamentis haurire, non tam, ut ipse eâ utatur (hic enim usus ad nostrum propositum non pertinet) sed ut noverit leges Romanas elegânter perscriptas resolvere & accuratè interpretari.

VII. Multi hoc studium Candidatis Iurium commendare solent, eò quod ejus in Republica insignis sit usus, præsertim in legationibus obeundis, aut sermonibus coram toto populo habendis; nam hæc munia hodie Iurisconsulto plerumq; demandantur; sed hæc aliena ab interprete sunt; nos nihil aliud jam requiremus, nisi quæ ad interpretem spectare videntur; reliquis omissis, quibus ex accidenti fungitur: idem esset ac si medico quis necessariam Poësin diceret, aut artem Musicam, eò quod eá delectare possit ægrotos, & se illis jucundum præstare. Hæc enim omnia ex accidenti sunt. Non negamus, quod supra etiam innuimus, interdum Metaphoras fieri posse proprias voces, si scilicet in usum omnium recipiuntur. Tunc enim ex instituto apud omnes valent, non aliter ac aliæ propriæ voces: quarum significatio ab eo haurienda, quæque ita significant, non aliam ob causam, quam quod ità placuit. Hæc ex natura rei de illis dici possunt.

Caput XIX.

DE CONSENSV ICTORVM ROMANORVM CIRCA EA, QVÆ PROXIMO SVPERIORI CAPITE EX NATVRA REI DE METAPHORIS DICTA SVNT.

I.

EA, quæ superiori capite fuêre deducta, aut omnia, aut plurima accuratè nostri interpretes observant. Ac primò

mò quod causam Metaphorarum attinet, idem Iurisconsulti Romani sentiunt. Aurel. David cap. 5. num. 45. de V. S. ita ait: *Sciendum est tamen supra dicto Corollario, quo dixerat verba propriè esse accipienda, locum non esse, quando posita verba & vera & propria deficiunt, & propterea nihil obstare. Quare nova ipsi, veniâ præcipue impetratâ, formare non possumus, & cur externis peregrinisq; non utamur, quemadmodum frequenter.* Addit Camillus Gallinius: *quia ubi res appellationibus suis carent, & propria vocabula non habentur, ad translationes & circuitus recurrimus; & necessitas excusat hujusmodi rerum innominatarum aut propriis nominibus carentium significandarum causa.* Ex his, inquit Alciatus lib. 3. de v. s. *longè frequentissima est, quam μεταφορὰν hoc est translationem vocant, sine qua nec quotidianus sermo consisteret, cum propter vocabulorum angustiam similibus plerumq; uti cogamur, vel quia proprium deficiat, vel quia translatum proprio elegantius sit, ut cum Iurisconsulti adulterinam monetam, adulterinam scientiam vocant, & adulterari rationes dicunt, hoc est, conturbari vel falsò describi l. 1. in fin. ff. de serv. corrupt. Sic ambulatoriam voluntatem, actionem, potestatem legis, stipulationem dicimus, sic viam aperire, sic calcem pro fine, cunabula pro initiis plerumq; reperire est; hinc anfractus litium antiquare, hoc est, extinguere: hinc deflorata species, enucleatum jus, frani temperies, nuda conventio: sic in promptu dicimus, ad manum, impendenti, primâ facie, laquei legum; sic inhiare commodis, quod à lupis translatum est: sic Rempublicam florere & donationem propter nuptias æquis passibus ambulare, tempora largiri; causam capitalem, quæ ad statum pertinet, dicimus, & si qua similia quæ nusquam in quocunq; autorum genere non occurrunt.* Nolim adducere, quæ dicat Bartolus, quæ Baldus quæ Iason, quæ Alciatus, Albericus Gentilis, Iacobus Cujacius,

 Fran-

Franciſcus Hotomannus; ne pluribus conglomerandis tempus fruſtra teratur.

II. Deinde conſentiunt in eo, & rectè docent etiam ex Metaphoris, quamvis impropriè ſumantur, nihilominus voluntatem legislatoris colligi poſſe. Ita enim ait Camillus Gallinius lib. 11. c. 7. d. V. S. *Erit tamen hoc unum animadvertendum circa quatuor illas circumſtantias à Capolla Veron: numeratas eò, quia ita ſe habeat, ut una alteram ſuperet; certa enim ac præciſa, propriaq́ vocis ſignificatio vincitur à conſuetudine ſeu communi loquendi uſu, qui ſit in contrarium d. l. Labeo. uti Bart. de ſupellect. legat. l. liberorum §. quod tamen Caſſius de legat. 3. ubi Gloſſ. & doctores ſcribunt in rubric. de oper. novi nunciatione. Naturalem verò & conſuetudinariam verborum ſignificationem vincit ſubjecta materia l. ſi uno locante §. inſulam de præſcript. verb. & plenius, dicemus lib. 3. cui ſi conjuncta fuerit figurata ſignificandi vis ipſius diſtinctionis, ab eo figurato modo ſignificandi cætera ſuperantur.*

III. Quod verò Metaphoræ non ſignificent propriè, præſertim illæ, quæ nondum in conſuetudinem receptæ ſunt, id latè patet ex loco Gallini, quem aſſcribemus lib. 3. cap. 3. de v. ſ. *Mihi tamen,* inquit, *vix perſuaderi poteſt, ut quæ figuratè dicuntur, propriè ſignificent: oportet enim ut vel per tropum vel per figuram enunciata ſint, quorum utriusq́ genera proſequetur Fabi. lib. 8. cap. ult. & lib. 9. cap. 2.* Idem hoc latè docet quoque Alciatus lib. 4. de v. ſ. cujus verba poſt afferemus, quando Camilli Gallinij recenſuimus. *Nam,* inquit, *ſi ad tropum* (intelligit autem cum Ariſtotele Metaphoram) *negotium referamus, clarum eſt, propriam illius medio non importari ſignificationem. Quia tropus* (Metaphora) *eſt verbi vel ſermonis à propria ſignificatione in aliam cum virtute* (hoc eſt, rectè, non temerè, aut ex accidenti, ſed cum ratione, ut ſupra nos diximus, ità planè conveniunt) *mutatio*

tio &c. Paulòpost. *Quod cum tropi, qui figuras continent, ornandæ orationis gratiâ destituuntur propriâ significatione, nec invehi possunt, nisi cum in propria; verum non erit ornatus gratiâ figuratè dicta posse propriè significare.* Paucis interjectis: *Facit insuper quod ubi per tropum ornatus gratiâ res dicitur, non ex necessitate, quod scilicet verba deficiant, id fit, sed copiæ & eloquentiæ causa, ergo verba propria, quibus res significentur, superesse oportet: si supersunt, figurata propriè significare non poterunt, cum translatitiè & non comprehensivè significent: & certissimi juris sit* (hoc est, certissimæ rationis) *cum propria significatione aliam propriam in idem subjectum concurrere non posse, nisi genericè vel æquivocè, vel comprehensivè, ex vi rationis concurrat, & tamen figurata significatio eo modo proficisci nequeat.*

IV. Quod loquentis etiam persona sit attendenda, ut & eorum, ad quos dirigitur sermo, etiam consentiunt. Brevitatis causà unicum locum ex Camillo Gallinio producemus lib. x. cap. x i i. num. 14. *Tertius casus est,* inquit, *in dispositione personæ idiotæ, ut per Socin. in cons. 37. columm. 4. versiculo quinto sub num. 8. volum. 3. ubi ait, quod licet juris dispositio sit, ut quando familia vocatur vel parentela,* dicantur omnes vocati ordine successivo, ità *ut priores in gradu priore loco admittantur juxta l. cum ita §. in fideicomm. de legat. 2. ubi doctores not. & ibi est casus & in d. §. Quidam; rectè tamen ista consideratio non cadit in personam idiotam, quæ non capit hanc juris interpretationem, sed crassiore Minerva, si de parentelâ vel familia loquitur, accipit de tota, ut in simili dicit gloss. in l. Quod si nepotes de Testament. Tutel. in l. Quoties C. Famil. Ercisc. & in l. hæc stipulatio §. hac quoque de verbor. obligat. cum similibus, quæ ibi adjiciuntur à Socin. Sed est animadvertendum, quia hæc restrictio non est simpliciter vera, neque etiam ad hunc casum nostrum applicabilis, sed tantùm in casu illo, quan-*

do essemus certi de consuetudine illa rusticana disponentis Idiotæ, vel rusticorum regionis, in qua is versaretur, juxta textum in l. si chorus in pr. de Legat. 3. in d. l. si servus §. ult. de leg. 2. & in l. cum de lanionis §. optimum cum simil. supra citat. Ex quibus perspicuè patet interpretes omninò loquentium rationem habere, & eorum etiam ad quos loquuntur. Nos plura loca & exempla comportaremus, sed properandum est ad alia.

V. Sanè fieri aliter non potest, quam quod hæc diligenter observari debeant. Cùm enim interpretis labor unicè in eo sit, ut voluntatem disponentis eruat, si fortè vel ratio rerum vel verborum obscura sit, fieri aliter non potest, quin eo modo verba sumat, quo ab eo sunt prolata. Si itaque ea protulit tanquam peritus, hoc est, significanter seu Metaphoricè locutus est, eo modo accipienda sunt; si crassâ Minervâ, si peculiari ratione loquendi usus est, vel quæ in regione, in qua vixit, obtinet, vel quæ in urbe, seu pago, seu domo illa, ex qua est, ea amplexanda. Hinc in dubijs & obscuris semper consuetudo loquentis ipsius, postea loci, seu pagi, vel civitatis, post regionis, post Reipubl. post denique totius nationis spectatur. Ex illis enim certò voluntatem ejus colligere licet. Et si vox Metaphorica nobis videatur, ignoramus tamen quo sensu à disponente fuerit prolata, si imperitus sit, non facile eam Metaphoricè intelligemus, præsertim si aliæ rationes concurrant. Id enim sumimus, quod plerumque est, in dubio: Pleriq; autem imperiti voces eo modo usurpant, quo apud omnes valent, non verò quo à peritis transferuntur. Fieri tamen potest, quod imperitus etiam unam vel alteram rectè Metaphoricè usurpet, quod si fit, ita interpretanda est. Quapropter interpreti ante omnia mens diligenter inspicienda est, & post accuratè circumspiciendum, quænam verborum

rum

rum acceptio proximè eam juvet, & ea recipienda est. Perpendendæ hic erunt omnes circumstantiæ, quæ accidere possunt.

VI. Consentiunt porrò in eo, quod nos latè supra demonstravimus, nempè fieri posse, ut Metaphoræ seu voces benè translatæ tandem reddantur propriæ. *Quam tamen*, inquit Gallinus lib. 3. cap. 3. *ego restringerem* (intelligit autem significationem Metaphoricam, quam propriam esse negavit) *ut locū non haberet, quando figuratus ille dicendi modus autoritate Iurisprudentium esset receptus, majoris demonstrationis, vel significationis expreßioris gratiâ; tunc enim autoritatem prudentium proprietatem significationis illi dare dicendum esset, per ea, quæ supra disseruimus in tractatu propriæ significationis in capite autoritatis Iurisprudentium. Vt enim dubitationem non recipit, quin aliena planta, quæ à Titij solio in nostrum translata fuerit, si in solo nostro radices egerit, nostra fiat, §. si Titius Instit. de rerum division. Sic verendum non est, quin si usu recepta fuerit apud Legislatores (intellige autem Iurisconsultos seu interpretes) ad aliquid enunciandum figurata dicendi formula, vel ad aliquid magis significandum, ut supra dictum est, illa propriam habere significationem dicenda sit, tanquam radices egerit in solo Romani elogij Iurisconsultorum.* Quæ verò & quot illæ sint in LL. Romanis, nostrum non est dicere. Nos enim hic majorem demonstramus alio tempore, ubi ex professo de Legibus Romanis agemus, minorem quoque formaturi. Non possumus tamen, quin ex pluribus paucas afferamus, quæ in usu LL. Romanarum sunt tritissimæ, adeo ut in proverbia pænè abierint: sic dicitur: *Dupondij Iuvenes, hoc est, Tyrones, Lytæ & Prolytæ. Item probationes de domo l. penult. de Test. conniventibus oculis l. 4. in pr. ff. de Manum. Item de plano l. ne quicquam §. de plano ff. de off. proc. Levato velo. l. p. C. de naufr. in folle. l. cum servus C de Condit.*

Condit. & Demonstrat. Isauricus pro atroci latrone. Item usura nautica. Item spargere aquam. Humanitus contingere. AEquâ lance l. præsens Cod. de servit. æquis passibus, κατὰ πόδα Iustinianus dixit l. 2. C. de Vet. Iur. enucl. Item ab aula recedere hoc est in usu desinere. Emendicata suffragia l. singuli C. de Accusat. Noxa caput sequitur l. licet. C. an serv. pro suo fact. suo Marte l. 1. C. ne liceat potentioribus. Sed desistimus plures congerere. Has nemo explicabit, nisi vel artis dicendi sit peritus, & proprietatem linguæ probè perspectam habeat, usumq; prudentium in arte illa consulat. Qua ratione itaque difficultas oriatur ex Metaphoris, & quomodo superari debeat, jam dictum est.

CAPVT XX.

DE PEREGRINIS, LINGVIS SEV,

ταῖς γλώτταις, quemadmodum ait Aristoteles.

I.

VErum non tantum propria & Metaphorica in LL. dantur vocabula; sed insuper quoque fieri potest, ut peregrina habeantur: hoc est, ut Aristotelis verbo utar, *γλῶτται, linguæ.* Cum enim nominibus rerum inusitatarum destituamur, necesse est, ut vel à simili, hoc est positâ jam voce, mutuemur, hoc est transferamus, aut peregrina assumamus, aut fingamus. *Voco autem peregrinum seu linguam,* inquit Aristoteles, *ᾧ χρῶνται ἕτεροι: hoc est, quo diversi utuntur.* Vno verbo: quicquid verborum extra vernaculam est, id Aristoteli dicitur lingua seu *γλῶττα.* Quamvis enim talia raro in legibus adhibeantur, tamen si contingat adhiberi propter prægnantes causas, necesse est, ut sciamus, quomodo ea interpretanda sint. Sed nihil peculiare hic occurrit, omne enim id, quod in vernacula servandum diximus,

cimus, hic quoque observari debet. Illud saltem notandum, quod lingua si in vernaculam transferatur, aliam interdum significationem accipiat, quam aliàs habuit: interdum verò pristinam retineat, nam hoc penes usurpantes est, pristinam significationem ei relinquere, an eidem indere novam. Quo casu rursus usus consulendus est, & ex eo omnis horum significatio æstimanda. A quo verò horum interpretatio fieri debeat, dicemus infra. Talia etiam in LL. Romanis dari supra diximus: ideò ne verbum amplius de his sumus addituri.

Caput XXI.
DE
ÆQVIVOCIS.

Quo variæ eorum differentiæ etiam in Legibus monstrantur, quantumq; difficultatis interpreti pariant, & quomodo variæ eorum acceptiones cognosci queant. Et quod distinctio ICtorum Rom. aliud esse Iuridicè sumi & vulgariter, non careat fundamento. Item, quod doctrina ICtorum Romanorum, qui dicunt ex subjecta materia multiplicem acceptionem vocis cognosci posse, cum fundamentis Philosophicis conveniat.

I.

PRæter hæc dantur quoq; æquivoca, quæ nimium quantum Interpreti pariant difficultatis. Repetendum autem est, quod supra dictum, Leges haud peculiaribus uti terminis, seu vocibus, sed iisdem, quæ in communi usu versantur: quapropter etiam eandem significationem & naturam cum illis habebunt. Et quæcunq; illis accidunt, eadem his quoq; accidere credendum est. Quia verò, inquit Aristot. libr. de Elench. c. 2. *nomina finita sunt, & orationum*

multitudo, res verò numero infinita; necesse est plura eandem rationem & nomen unum significare : Hoc æquè in vocibus illis, quibus utitur Legislator, locum habet. Vitium enim hoc vix ab eo evitari potest. Quoniam itaque hoc vocibus quasi ex necessitate quâdam cohæreat, vix multiplex sensus præcaveri potest. Prolatâ enim ejusmodi voce, omnes illi conceptus simul repræsentantur, ad quos significandos ex impositione hominum est extensa. Quo facto, non statim discernere licet, hunc solùm esse à Legislatore seu disponente intentum, & non alium, neque plures. Hæc sanè insignis est difficultas: quapropter omni studio removenda ab eo, qui obscuritatem ex orationum generibus seu dispositionibus tollere nititur. Diligentissimè enim interpreti notanda illa sunt, quæ habet Arist. lib. 1. Top. cap. 14. *Meditatum autem & in promptu habere, quot quicquam modis dicatur, magnum ad perspicuitatem affert adjumentum. Facilius enim, quid sit id, de quo agitur, si exploratum sit, quot modis dicatur, intelligetur. In eo etiam magna vis est, ut de reipsâ, non de nomine tractetur argumentatio. Nam si incertum sit, quot modis id, de quo agitur, dicatur, fieri poterit, ut & qui respondet, & is, qui interrogat, non eòdem animi sensum referat & intelligentiam. At si explicata sit ambiguitas, & is, qui rem proponit ad disputandum, suum animi sensum de reipsa exprimat, profectò ridiculus sit is, qui rogat, nisi eòdem omnem referat convertatq; orationem. Magnam etiam utilitatem habet, & ut ne fallaci conclusione ab aliis decipiamur, & ut alios capitioso conclusionis genere fallamus. Si enim quot modis dicatur id, de quo agitur, sciamus, non decipiemur, intelligimusq;, is ne, qui rogat, ad eandem intelligentiam omnem conferat orationem, an non. Et nos, si quando nobis objiciendum est, eum, qui respondeat, si ignoret, quot modis id, de quo agitur, dicatur, fallaci conclusione poterimus decipere.*

II. Quæ

II. Quæ Aristoteles de Respondente & interrogante seu opponente (ut loquar cum nostris moribus) dicit, optimo jure de Legislatore & cive asserere possum. Sanè si non constat, quot modis id, quod Legislator in lege ferendâ adhibet, dicatur, fieri poterit, ut & Legislator & civis non eòdem animi sensum referat & intelligentiam, hoc est, ut aliud sentiat Legislator, aliud verò civis, & sic nulla oriatur obligatio. Et sic is legem tulit & non tulit: quod ridiculum. Quapropter etiam omnes Legislatores boni aut abstinent ab ejusmodi vocibus, aut, si non possint, adjicere solent definitiones nominales, quâ ratione scilicet vocabulum πολλαχῶς λεγόμενον intellectum velint; quo casu eodem plane modo accipiendum est, quo ab illo positum. Haud aliter faciunt ipsi Respondentes, qui vocabuli suppositionem præmittunt; quod si ab eo factum, *ridiculum eum* Aristoteles *vocat, qui non simul eò omnem convertat orationem*. Imò nos civem talem non saltem ridiculum, sed iniquum & injustum haberemus.

III. Quod porrò affert de deceptione, quæ accidere & solet & potest, à nostro instituto haud alienum est. Nulla enim facilior via ad eludendam Legum vim, quàm per æquivoca, quorum multiplicem sensum deprehendimus. Sic enim accipiendo verba legis contra voluntatem ejus facimus, quod fraudis genus haud est rarum, & maximoperè puniendum. Hinc egregiè dicit Arist. *lib. 3. Rhet. c. 2.* τῶν δ' ὀνομάτων, τῷ μὲν σοφιστῇ ὁμωνυμίαι χρήσιμοι. παρὰ ταύτας γὰρ κακουργεῖ. *Ex nominibus Sophistæ quidem homonymiæ sunt utiles. Nam circa has fraudem facit.* Quapropter si hæc à Legislatore seu disponente non sunt explicata, cura interpretis erit, ita interpretari, ne minima occasio relinquatur Legis obligationem aut defugiendi aut infirmandi.

IV. Quænam autem sint æquivoca, tradit Aristot.

lib. de Categor. sub initium. *Æquivoca dicuntur, quorum nomen solum commune est; definitio autem essentiæ ad nomen accommodata alia atq; alia.* Hæc Ictus seu interpres supponit, cum supra jam dictum sit, nihil peculiare habere illas voces, quæ in legibus sunt præ illis, quæ in communi vitâ versantur, exceptis illis technicis, quæ non minus interpretibus, quàm alijs artibus sunt peculiares. Quod si itaque interpres in legibus, quæ ipsi interpretandæ offeruntur, deprehendat talia vocabula, quæ ad diversas res denotandas adhibentur, ea ante omnia distinguere debet, quo modo in præsenti lege sumenda: nisi jam id factum sit à Legislatore. Quâ ratione autem cognosci possit, hanc vel illam vocem esse hujusmodi, equidem docere non est nostrum, sed Logicorum: videatur hic elegantissimum caput Aristotelis *lib. x. Top. cap. XIII.* ubi ingeniosissimè pertractat, quomodo æquivoca & eorum multiplex significatio investigari possit. Nolumus ea trahere in nostrum forum, ne falcem nostram in alienam messem immisisse videamur. Nos ea saltem seligemus, quæ proposito nostro maximè conducere arbitrabimur.

V. Primò verò notandum omnia plura significare ex instituto. Prout enim voluerunt impositores, ita significant. Quum verò res plures deprehenderent, pauciora verò nomina, plures uno denotarunt. Hoc factum est vel consilio ipsorum, quod peculiare hoc ipso significatum ibant, vel quod aliquam similitudinem seu convenientiam inter eas perspiciebant, vel propter aliam aliquam causam, quæ ipsos movere poterat; vel factum est nullo consilio seu prævia deliberatione, seu potius casu & sorte fortuna. Quod fieri posse & experientia testata est, & usus loquendi etiam facit comprobatum. Hinc omnia æquivoca à Logicis generali divisione dispescuntur in ea,

quæ

quæ à fortuna sunt, & in ea, quæ à cogitatione nostra. Quæ verò à cogitatione nostra sunt, (sic enim loquuntur) variè sese habere solent: Quemadmodum ex loco Boëthij, quem asscribere placet, videre licet. *Æquivoca*, inquit, *alia à fortuna, ut in diversis locis idem nomen, alia à consilio, ut eodem nomine aliquos appellare, & hic esse potest à memoria, ut si filium majorum nomine appellamus, à spe, ut si Platonem, quia sperat ipsum futurum Philosophum, nuncupabit; ab analogia, ut pedes montis & lecti; ab uno, ut Medicum volumen, Medicum pharmacum, ad unum, ut salubris potio, salubris exercitatio; ab uno vel exemplari causa, ut homo pictus à vero; ab aliqua efficiente, ut medicum scalpellum.* Idem docet Albertus Magn. *in prædicam. Æquivoca alia secundum rem sunt*, inquit, *alia à casu & fortuna. Æquivocum à fortuna est, cum forte fortuna & sine ulla animadversione nostra, nec consilio, res diversa idem consequuntur nomen.*

VI. Hæc talia in legibus quoq; reperiri dubiũ nullum est. Res enim tam manifesta est, ut adductione exemplorum supersedere possimus, cum ubiq; obvia sint. Et verò si res diversissimas significent, haud multum negotij interpreti facessere poterunt; quod enim hoc in loco, quo de quæstio est, significare debeant, statim apparet ex materiâ, ut loquuntur, subjecta. Firma enim regula Philosophorum, quam de his tradunt, nequaquam in legibus etiam fallere potest, scil. *Æquivocum omne per se positum, nihil designare, nisi ad quasq; res, pro voluntate significantis aptetur*, ut habet Boëth. in libr. Arist. de Interpret. Quapropter si contextus legis spectetur, materiaque, de quâ lex loquitur, intelligatur, non multum, ut diximus, negotij facessere possunt. Illa majoris difficultatis videntur, quæ ab analogia desumuntur; quæ ita intricatè interdum significant, ut haud facile discernere possis, quid potissimum

præsenti loco denotent. Quæ tamen ita superari potest, si mens legis accuratè investigetur, secundum quam etiam acceptiones æquivoca sortiri debent. Si enim hanc investigavimus, de his non est, quare maximoperè simus solliciti. Quare hujus prior ratio, & major cura habenda. Maxima difficultas in universalibus videtur, *in his enim*, inquit Philosophorum schola, *latent*, hoc est, vix deprehendi possunt æquivocationes; in individuis & particularibus magis pellucent. Quæ autem magis latent, quæq; majorem inter se affinitatem habent, eo difficiliores nobis judicandæ veniunt: quod olim nos docuit Aristot. exemplo Iustitiæ *lib. 5. Eth. ad Nicom.* Quarum vestigia in LL. diversis apparent, sed non æquali copiâ. Alibi enim plures reperire licet, alibi pauciores. Sane in Corpore Iuris civilis Romani uberem harum messem metere licet, quoniam id ad speciem quandam artis compactum esse constat, & sc. ab his abstinere haud facile potuit. Idcirco etiam majoribus difficultatibus interpres illarum legum constrictus videtur.

VII. Vt huic obscuritati occurrat, necesse est, ut proprium nomen investiget, hoc est, ut sciat, quem nam conceptum vocabulum apud omnes & singulos principaliter habeat: quo cognito, facile de æquivocatione judicium ferre poterit, & quomodo hoc in loco, in præsenti materia, accipiatur. Quâ ratione verò id cognosci debeat, supra dictum est pluribus. *Nam omne æquivocum aliquid habet*, inquit, Albert. Magn. in prædicam. *per quod æquivocum reducitur ad univocum.* Hinc illud primò cognoscendum est: cum ab ejus cognitione reliqua pendeant omnia. Et cum itidem supra latè fuerit probatum duplicis generis terminos esse in LL. Romanis, ejusmodi scilicet, qui in communi loquendi consuetudine versantur, & ejusmodi, qui

qui interpretibus LL. solis sint usitati; duplex quoque orietur significatio, quam interpretes illarum LL. naturalem & civilem vocant. Quarum fundamentum ante satis stabilivimus. Hinc respectu harum diversarum significationum emerget quoq; duplex æquivocatio. Quin enim multa vocabula à vulgari consuetudine ad civilem significandi modum, hoc est technicum, sint translata, & in hoc ipso varias rursus significationes accepêre, nemo dubitabit, nisi qui hospes planè sit & peregrinus in LL. Romanis. Hinc illud tritum; vocabula aliter sumi Iuridicè, & aliter vulgariter. Quæ distinctio ut haud immunis est à calumniantium impetu, ita suo fundamento non caret. Quod si enim omnibus artibus hoc tributum est, ut peculiaribus & sibi proprijs utantur terminis; quis eos denegabit arti interpretandi. Quomodo verò significatio civilis colligenda sit, itidem suprà docuimus. Duplicem itaq; hanc homonymiam interpres LL. Roman. diligenter attendet. Et quidem præter ea, quæ diximus, studiosè observet, haud facile in LL. si quidem rectè latæ sint æquivoca esse fingenda; sed quantum fieri potest, propria præsumenda. His enim prudens Legislator mentem suam manifestare solet.

IIX. Porrò eam significationem, quam vocabulum æquivocum communiter apud omnes obtinet, plerumq; nisi aliud obstet, esse præferendum; hâc enim rursus prudentem uti voluisse intelligimus. Imò repetendum ex supra dictis, teneri Legislatorem, si vocabula ambigua adhibeat, definitiones nominales adjicere; quod duplici viâ fieri posse itidem diximus: quibus neglectis colligimus Legislatorem haud necessarium duxisse, talem adjicere; quapropter æquivocum illud in ea significatione capiendum, in qua vulgo apud omnes accipitur. Præsumimus

enim

enim Legislatorem ita voluisse loqui aut etiam locutum esse, ut ab omnibus intelligeretur. Non hoc omissum est in Legibus Romanis, quibus sub finem integer titulus, isque satis prolixus annexus est, nulli alij fini, quam ut verba, quæ in usu Iuris Romani versantur, intelligantur, quotupliciter sint accipienda. Qui quàm insignem præbeat interpretibus utilitatem, dici haud potest. Quapropter haud abs re foret omnibus & singulis, qui leges Romanas interpretandas audituri sunt, integri illius tituli cognitionem præmitti, quo postea Iurisconsultos loquentes eo melius intelligere queant. Hinc illud Logicorum etiam in censum nostrum venire negandum non est nempe *omne analogum per se positum stare pro significatione famosiori.* Quod nostri interpretes etiam ex materia subjecta exsculpere cónantur, secundum illud Philosophorum, *omne æquivocum per se positum nihil designare, nisi ad quasq; res pro voluntate significantis aptetur.* Quòd nostri interpretes vocant ex subjecta materia. Hinc rursus videmus insignem nostrorum interpretum cum Philosophis consensum, quod hic denuo indicasse sufficiat. Nos peculiariter hoc demonstraturi vel infrà, vel peculiari dissertatione plurima exempla ex Legibus Romanis petemus, quæ ad hoc illustrandum facere videbuntur.

CAPUT XXII.

DE PRISCIS, INUSITATIS, ET AMBIGUIS.

I.

HActenus de proprijs, Metaphoris, linguis & æquivocis; sequeretur nunc, si ordinem Aristotelicum servare velimus, quem initio nobis sequendum proposuimus, ut

de fa-

de factis, protractis, immutatis, obscuris, ambiguis & inusitatis diceremus; verùm non omnia hæc ad finem nostrum faciunt. Aristoteli enim propositum fuit docere elegantiam sermonis; nobis verò obscuritatem ejusdem vitandam. Qui duo diversi fines etiam diversam tractandi rationem exposcunt. Quapropter relictis illis, quæ ad ornatum magis, quàm vel perspicuitatem, vel obscuritatem sermonis facere videntur, de ambiguis, dubijs, inusitatis seu priscis nonnihil addituri sumus. Quamvis verò sæpius inculcatum fuerit, prudentes Legislatores ab ambiguis, dubijs, obscuris & inusitatis, quantum potest, abstinere: fieri tamen ob multas causas potest, ut citra ullam ipsorum intentionem talia obrepant; vel propter vitium ipsarum vocum, quibus id necessariò adhæret; vel propter diuturnitatem temporis, dum interim loquela, quâ Legislator usus est, ità per consuetudinem loquentium mutatur, ut amplius agnosci nequeat. Quod multis legibus vetustis accidisse tum exemplo nostrarum legum, tum Romanarum discimus. Sunt enim voces adhuc in Legibus XII Tabul. quarum fragmenta nonnulli viri optimi, de re literariâ benè meriti servarunt, quæ adeò ab usu linguæ Romanæ, quæ circa seculum Augustæum obtinuit, abhorrent, ut non Romæ, sed alibi natas esse dicas. Haud aliud fatum subierunt priscæ illæ Germanorum leges, quæ adeo inusitatis (tum verò temporis forte usitatissimis) sunt refertæ, ut hodiè à nemine ferè nostrorũ, qui in media Germania vivimus, intelligi queant. Et hæc sors communis omnibus, quæ insigni aliqua vetustate unquam fuêre memorabiles. Nihil dicam de antiquis Svevorum, Allemannorum, Ripuariorum, Transrhenanorum &c. Legibus, quibus idem accidisse, eruditissima testantur monumenta, quæ de earum fragmentis ediderunt plures viri doctissimi, Petrus Pythæus, Mar-

quardus Freherus, & novissimè Fridericus Lindebrogius. Hinc patet non deesse in legibus inusitata & obscura, si non ob aliam causam, saltem ob diuturnitatem temporis, quod vocum significationes mutare solet. Quin plurima in leges Romanas irrepserint, quæ à communi linguæ Latinæ usu, prout ab alijs scriptoribus frequentatur, nonnihil abeunt, dubium penes eum esse non potest, qui leviter in ipsarum lectione est versatus. Nos antequam ad ipsam interpretationem accedamus, quædam exempli loco præmittemus.

II. Et primò haud diffitendum est, reperiri tum in ff. tum C. nonnulla, quæ delicatum lectorem, qui puritati linguæ Romanæ assuetus est, haud leviter remorari possent; quæ tamen ego non à ICtis, quorum purus & emendatus character sermonis omnibus notus, & ob hoc solum Pandectæ ab ijs, qui linguam sectantur, magni habentur: sed Glossatoribus forte margini ascripta, & post ab imperitis librariis textui ipsi inserta crediderim. Sane plura sunt, quæ hodiè in ff. deprehenduntur, minus genium Romanæ linguæ præ se ferentia, quæ tamen in antiquissimis manuscriptis Codd. haud reperies. Quod signum satis evidens est, ea non à ICtis, sed glossatoribus fuisse infarta. Textus est *in l. 3. ff. de Senatusconsulto Silaniano & Claudiano &c.* ubi Vlpianus ita ait. *Si quis in gravi valetudine adfectus opem Domino ferre non potuerit, subveniendum est ei.* Nemo Romanorum paulo tersior ità loqueretur. Neque dubium, quin forte, ab imperito librario particula illa IN fuerit adjecta. Textus quoque est *in l. 82. ff. de leg. 2.* quæ est Pauli, ubi ita ait. *Alioquin secundum illam sententiam, si interusurium tantum est in legato, quid dicemus, si fundus legatus sit ex die debitus?* Quob vocabulum interuiurium multi reijciunt, & interesse reponunt, quod etiam haud idiomati Romano convenire videtur, quod tamen hodiè ita invaluit, ut fermè ab omnibus

hâc

hâc significatione usurpetur. Idem Paulus *l. 19. ff. de Iurisdict. ait.* Cum *quadam puella apud competentem judicem litem susceperat, deinde condemnata erat, posteaq; ad viri matrimonium alij Iurisdictioni subjecti pervenerat, quaerebatur, an prioris Iudicis sententia exequi posset?* Dixi posse &c. ubi (exequi) usurpat passivè, quod rarò apud alios bonos scriptores invenies. Idem Paulus l. fin. de off. praesid. Dixit devirginare ancillam, quod multi tanquam barbarum rejiciunt. Ita enim ait. *Praeses eum cognoscat de servo corrupto vel ancilla devirginata &c.* L. penult. ff. de Fals. habetur *falsare.* Ita enim ait; *Decreto Divi Hadriani praeceptum est, in insulam Eos relegari, qui pondera aut mensuras falsassent.* Ita in hunc numerum referunt *certiorare* pro certiorem facere, item *meliorare,* item melioreſcere. Item Colonia pro agro Colono locato &c. Quorum plura alij coacervant. Verum haud facile autoritati legum Romanarum quicquam detrahitur, quamvis unus & alter Ictus interdum pinguius nonnihil locutus sit. Id enim non solum apud hos sed & alios artium cultores haud infrequens est, quarum dignitatem tamen non ex unius aut alterius vel errore vel incommodo dicto metiri solemus. Abundat hisce Philosophia Latina, quam tamen nemo propterea reijciet.

CAPUT XXIII. DE TERMINIS TECHNICIS IN IURE ROMANO.

Quorum plures adducuntur, qui peculiarem à vulgari obtineant significationem. Ultimò docetur, quomodo prisca & inusitata interpretanda.

MAjor copia eorum in dictis legibus invenitur, quæ alium prorsus sensũ habent, quam vulgò obtinent. Neque id sine ratione fieri supra diximus. Cum enim interpretationes Iurisconsultorum, quæ in leg. XII. Tabul. scriptæ erant, per Iustinianum vim legis accepissent, quæ tamen ab ipsissimâ arte interpretandi erant profectæ, fieri haud aliter potuit, quin ars etiam interpretandi aliquâ ratione legum robore fuit munita, hoc est, hoc modo interpretationem esse instituendam; seu hujus legis hanc esse debere interpretationem, & non aliam. Quapropter haud mirum videri debet cuiquam, si Romanum jus tanta technicorum vocabulorum multitudine abundet; fluxerunt enim eæ, ut jam dictum est, ab arte interpretandi, quæ non minus ac reliquæ, suos peculiares habet terminos. Leges verò ipsæ, quæ omnibus innotescere debent, ejusmodi respuunt: nisi dicere velis omnes omnino cives debere callere artem interpretandi leges, hoc est esse Iurisconsultos. Quo nomine Ius Romanum à multis valdè reprehenditur. Sanè si perstiterimus in illa sententia, quam superiori seculo multi defenderunt, & hodie non pauci tuentur, esse has leges strictissimè loquendo & propterea ab omnibus observandas, quicunq; tandem S. Rom. Imperio subjecti sunt, eorum reprehensiones, qui contrarium statuunt, effugere vix poterimus. Non putaverim facile negaturum quenquam, neminem obligari à lege, nisi quam adhibitâ omni diligentia, quæ quidem in hominem cadere potest, intelligere possit. Ast leges Romanæ ita sunt comparatæ, ut à plurimis S. Rom. imperio subjectis, adhibitâ etiam omni diligentiâ intelligi non possint. Quapropptpter omninò dicendum videtur, omnia illa quæ in corpore juris civilis continentur, haud dici posse leges, si pro-

priè

priè loqui velis, prout aliàs sumitur vocabulum legis. Perscriptæ enim sunt linguâ perigrinâ, quam ne centesimus quidem in Germania intelligit, nisi qui studiis operam dedit; imò licet intelligat eam, tamen propterea nondum eas intelligit, propter terminos technicos, qui longè aliter ac in communi linguæ usu capiuntur. Sed de hac re dicendi locus hic non est; hoc tantùm monstratum volumus, plurima in LL. Rom. esse, quæ à communi consuetudine loquendi nonnihil abeunt, eaque arti interpretandi seu interpretationi Iurisconsultorum esse adscribenda, non legibus, quæ tales voces adhibere debent, quæ ab omnibus intelligi possunt, aut, si sidhibeant, peculiari aliquâ descriptione easdem explicare. Cum verò interpretatioues illæ per Iustinianum imperatorem legum vim acceperint, ars quædam interpretandi cum ipsis legibus quodammodo conjuncta fuit, quod facile est in omnibus titulis & materiis juris civilis ostendere. Talium verò terminorum, quibus de ante dictum, haud exiguum licet deprehendere numerum: quorum ex multis aliquot saltim exempli loco sumus adducturi. Malumus autem id Celeberrimi Iurisconsulti, Andreæ Alciati, quam nostris fieri, cujus locum paulò prolixiorem huc transscribere liceat.

II. *Sanè illud*, inquit, *diffitendum non est, apud eos (intelligit verò, Iurisconsultos) quasdam dictiones esse, quæ aliis in auctoribus nusquam eo sensu reperiantur, ut cum* exhibere *verbo plerumq; pro eo utuntur, quod est alere.* DONARE ad processus hoc est, *ut eo donatarius utatur in pompa, vel cum in Principis est comitatu, id enim significat processus l. Nam imperat. ff. de donat. inter vir. & uxor.* Vnde l. 1. C. de sentent. pass. dicitur. Cum processisset, Imperator salutatus est &c. Et copiarum negotium *pro mercimoniis earum rerum, quæ ad victum pertinent & ad exercitum deferuntur*: & Dardanarii

pro his, qui annonam flagellant, qui & à Græcis σιτοκάπηλοι *dicuntur.* Est & apud *eos* Friusculum *l. cum hic status. ff. de donat. inter vir. & uxor. pro digressu temporario uxoris ob jurgium cum marito, vox nunquam alibi à me lecta, ut forte frigusculum dicendum sit, cum maritalis amoris ardor aliquantisper refrigescit.* Frivola pro supellectili inquilini, *tametsi & hac voce usus videri posset Juvenalis.* Iam frivola transfert Vcalegon l. solutum ff. de pignerat. action. Lanipendia *mulier pro lanifice, seu qua lanificibus ipsis pensa dividit.* Latrunculator *pro judice rerum capitalium (seu quod magis arbitror) pro præfecto apparitorum & militum, qui latrones conquirunt.* Notaria *pro denunciationibus delictorum, qua Irenarcha deferebant.* Panicularia ratio *l. Divus ff. de bon. damnat. quæ ad eas vestes viliores pertinet, quas rei & damnati rerum capitalium habent, cum ad supplicium ducuntur.* Perfunctoriè est *levi cura & aliud agendo; unde perfungi & defungi pro eo, quod est utcunque explicare.* Pessundat, *pedibus percutit, dixit Paulus, cum in Ædilitio Edicto, Bovem, inquit, qui cornu petit, vitiosum, item mulas, qua pessundant.* Spectabiles quoque & speciosæ personæ, *gradu quodam dignitatis insignes in jure plerumque dicuntur: ha voces hoc sensu apud Ciceronem & antiquiores nullæ sint.* Reliquare *quoque apud eos dicitur, qui æs alienum integrum non solvit; unde reliquatores vectigalium, qui reliqua publico debent.* Sequioris vitæ *eum appellant, l. cum si ff. de Transact. Qui sibi ipsi alimenta suppeditare nequeat; sed de alienis laboribus pendet: unde & sequior sexus, ni fallor, Apulejo, hoc est, muliebris.* Salarium *l. 2. ff. Ne quid in loco publico &c. pro vectigali, quod qublico præstatur, ob soli publici occupationem &c.* Paulò post. *Schemata cognationum in antiquis Codicibus dixit Paulus emendatius, ut arbitror, quam stemmata Juvenalis &c.* paucis interjectis. Venenarij sunt, *qui aliquem veneno sustulerunt, ejusq; criminis rei sunt.*

III. Hæc

III. Hæc ille de proprijs illis, quibus Iurisconsulti Romani peculiari & sibi solis usitatâ significatione utuntur. Pergit verò in eadem pagina porro ita; *sunt & apud eos alia dictiones, utiq; & ipsæ raræ, sed tamen ab aliis quoque auctoribus usurpatæ, quas simul referre operæ pretium duxi. Acerosina locare, affirmatores, antapocha, antidora, antipherna, apocha, archivum, arrogatio, auditorium, Basilica, bellissimè, breviarij rationes, calciarium, Kalendarium, Cloacarium, canacularium, canaticum, cancelli, cancellarij, capsarius, captiosus, captatorius, castratus, chatelus, chasma, commentariensis, coactio, collectarius, colonarium, conturbare, chorus, pro congregatione, decidere, decretalis possessio, damnas esto, decoctor, dominica pecunia, delicatus debitor, depositarius; eâdem formâ, quâ alimentarium dixerunt, commodatarium, donatarium, mandatarium, legatarium & similia. Dilapidat bona, dimisit creditores, hoc est, solvit diarium, dietarij, diffisus dies, desultor, emansor, equitium, errones servi, exterris, exiguiores res, fænebris pecunia, fæneravit, hoc est, accepit fænora. Fiduciaria hæreditas, hoc est fidei commissaria, Functiones pro tributis. Genuina pietas, quamvis vulgati codices habeant, gemina. Hamæ pro instrumento ad arcendum ignem. Debet, inquit l. 2. ff. de offic. præfect. vig. præfectus vigilum noctu coërrare cum hamis. Item, Imaginaria venditio, in continenti, informatur actio, in pendenti Iurisdictio restituenda. impossibilis, impersonalis, in solidum, hoc est pro parte l. ad ea ff. de R. I. In summa, hoc est, breviter, in tantum, inventarium, largitur annus, largiuntur tempora, licentia, lucrativus titulus, mannaria mola, medianum canaculum, missilia, magis est, nudus sermo, nudum pactum, nugatoriæ res, in necem, hoc est, in damnum, optiones, obrepere Iudici, officiales, d. l. Præsidis, ff. si certum petatur. Opistographum, orcinus libertus, parnaferna, partiar, pedanei Iudices, peregrini pro deportatis; periculum quandoq; pro spe nautici fœnoris, quandoque*

que

quæ aliter, ut in Rubrica Codicis de sententiis sine periculo (vel ut Budæus legit, ex breviculo recitandis) sic enim habet & codex Theodosianus, ut appareat de periculo seu experimento memoriæ accipiendum. Perpetuarius emphyteuta, pagani, pro quibusq; non militaribus, plaga, pro parte fundi, polia, pro grege equorum, præbenda locare, præjudicium, prætorium, pro domo rustica, promercalis res, persona; potitus hostium, hoc est, captus ab hostibus. Pulsare hoc est agere, vel convenire. Quæstuarius, de quo agatur per inversionem, reatus, receptitia dos, regimenta Reip. repertorium, repetit a die, repedare, restaurari, religiosissimus Princeps, in sacris patriis, synteria navis, strata, terrena, strena, suspendiosi, suus heres. Paulo post, *Simplaria venditio, temporaneus tutor, testamentarius pro tabellione, qui testamentum scripserit, testimonium pro ipsius Testis asservatione in scripturam redacta, velamentum, operæ venalium servorum, venter pro infante nec dum nato, ventrem facere paries dicitur, cum in vicini ædes porrigitur; vestiarium, viaticum, vinarij, qui & vinosi, vinaria, voluntarium, voluptuarium, usia, Græca vox, pro substantia. Usurpare, hoc est, usu capere, utensilia.*

IV. Hæc sunt quæ tanquam rara & aliquo modo â communi loquendi consuetudine abeuntia seligere voluit Vir doctissimus, cujus judicio fasces submittemus, modò monuerimus, non omnia, quæ ab ipso allata sunt, ejus esse significationis, ut solis Iurisconsultis Romanis, non etiam alijs Scriptoribus usurpentur. Num verò ab his illi ea mutuati sint, aut contra ab hi illis, non facile est explicatu: neque fortasse hujus loci anxiùs inquirere. Hoc saltem prolixo illo loco ostendere volui, dari multa in Iure Romano, quæ peculiarem sibi significationem in illo vendicarunt, neque temerè eandem apud alios Scriptores obtineant. Quarum vis jam unicè â Iurisconsultis petenda, eorumq; consensu standum, & si haberi nequit, vel majori parti, vel pru-

prudentissimis accedendum, quamvis non careat difficultate eorum dijudicatio, uti supra latè diximus ex Aristot.

V. Taceo innumera vocabula tum ficta, tum immutata, tum nova, tum ex peregrinis quoque ascita, quæ hodierna praxis invexit, quæ adeò candidatum fori turbant, ut nihil scire, nihil intelligere videatur. Tot difficultatibus constrictus est is, qui in republ. Romana Germanica causis decidendis animum sit applicaturus. De inusitatis, priscis & obscuris, nihil aliud porrò pronunciare possumus, quam quod illa, si leges priscæ ijs perscriptæ sunt, ita eruantur, ut ab ipso disponente fuerunt proposita, si fieri potest: sin id minùs obtineri queat, cum nulla fere monumenta supersint, ex quibus genuinam verborum vim haurire licet, ita explicanda sunt, ut sine vitio seu Injuria aliqua actionibus hominum applicentur. Hoc enim ultimum tandem illud est, ad quod interpreti omninò est confugiendum, si quantum in ipso fuit, omnia adhibuit, nec tamen per humanam diligentiam quicquam certi investigare potuit, desperatâ verborum intelligentiâ, talem mentem legi inesse dicet, quæ rationi prudentis convenire intelligetur. Etenim lex ita interpretanda est, ne reddatur elusoria, ita relicto verborum cortice explicanda, ut à dispositione prudentis quam minimùm abeat. Hujus enim rationi leges omnes conformes esse credendæ sunt.

CAPUT XXIV.

DE OBSCVRITATE, QVÆ ORITVR EX VERBIS CONIVNCTIS.

Quo ostenditur, novam oriri difficultatem ex vocum conjunctione, quæ ex variis causis, quarum pleræq; recen-

sentur,

ſentur, contingere poteſt. Tandem docetur, quomodo lex, ſi prolixa ſit, breviter in formam cujusdam Enunciationis contrahi poſſit.

I.

HActenus de difficultate vocum, quatenus ſeorſim conſiderantur; nunc de ea dicendum, quæ ex conjunctione earundem oritur. Omnis enim obſcuritas orationis, ut breviter dicamus, eſt vel ex vocibus ſeorſim conſideratis, vel ex earum connexione. Prius fit, quando habent duplicem ſeu plures ſenſus; hoc eſt, ſi ſint homonymæ. (2) Si non ſumantur in propria ſignificatione, ſed Metaphoricè; & contra, ſi vox aliqua per longum uſum in Metaphorica ſignificatione uſurpata propriam vim pene amiſit, hinc ſumpta in propria ſignificatione quodammodo obſcura redditur; quod tamen ex accidenti fieri palam eſt. (3) Si ſignificatio vocis planè ſit latens, quod fit in peregrinis, terminis artis, non adjectis definitionibus nominalibus; item etiam in indefinitis, de quibus omnibus ſupra latè diximus. Ratione connexionis oritur, vel quod oratio duplicem habeat ſenſum, ſeu multiplicem, vel quod nullum, vel quod difficilem. Duplex ſenſus oritur, quando oratio continet amphiboliam; quæ multis modis contingere poteſt; aut propter epithethon, quod quò referendum ſit ignoras; aut ſi planè omiſſum ſit; aut propter articulum, aut propter conjunctionem; aut etiam propter ambigua verba. Cujus exempla plura ubique occurrunt. Ariſtoteles lib. 3. Rhet. cap. 5. hoc affert.

Κροῖσος Ἅλυν διαβὰς μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει

Croeſus Halym penetrans magnam pervertet opum vim.

Notum quoq; eſt illud Virgilij: Ajo te Æacida Romanos vincere poſſe. Item in his: Teſtator rogat hæredem, ut de-

ccm

cem vala Titio det, quæ volet. Item hæc. Rogat Testator hæredem, ut alimenta matri suæ præstare debeat, & mille hujusmodi. Plura nolumus coacervare.

II. Fit præterea sensus legis difficilis, si distinctio seu interpunctio ignoratur; hæc enim mirum quantum obscuritatis offundere soleat. De hoc conqueritur etiam Aristoteles lib. 3. Rhetor. c. 5. *Omninò oportet facile legi, quod dictum est, & proferri posse. Est verò idem, quod multa conjunctiones non habent. Nec quæ non facile est interpungere, ut quæ sunt Heracliti. Nam quæ sunt Heracliti, interpungere operosum, quia incertum est, utri adjaceat, posteriori ne an priori, ut in principio hujus libri; Inquit enim: Rationis hujus, quæ est semper imperiti homines fiunt. Incertum enim est illud (semper) utri interpungas.* Hoc quoque in LL. contingere posse, nullum est dubium; quapropter interpres monendus est, ut si alicubi hoc deprehendat, sciat tollere.

III. In LL. Romanis hoc occurrit sæpius, quod tamen earum autoribus nequaquam ascribendum putamus. Audiamus loquentem hac de re Iohannem Mercerium in conciliatore suo ad Filium: *Ante inventum Typographicum librarij, homines imperiti descripserunt, & literarum vel imperitiâ, vel similitudine decepti aliud pro alio reposuerunt. Nihil facilius. Distinctionibus transpositis, periodis prætermissis, iisdem verbis repetitis, colis & commatis, quæ distinguendæ sententiæ serviunt, perversis tota oratio enervis & exanguis redditur. Hæc scabies omnes scientias pervagata est, sed maximè juris scientiam. Cur potius quam alias requires? Iurisperitorum, quæ extabant scripta, magna ex parte per literarum compendium erant expressa.* Ea sunt, quæ sigla, *seu singula, hoc est, singula seu singulares literæ &, ut Gellius loquitur, singularia, quarum quælibet dictionem unam pluresve significarent; qui scribendi usus haud dubiè, quod est in interpretandis legibus discrimen, maturavit.*

Hoc ipse fatetur Iustinianus in Epistola ad Tribon. & alter. ad Antecessores, cujus mandato tamen non fuit paritum. Nam manuscripti Codd. testantur etiam tum ità fuisse scriptum. Et fieri potuit, ut Tribonianus quoque fuerit deceptus in ipsis siglis; sed si ponamus eum fuisse gnarum omnium, fieri potuit, ut librarij, qui toties descripserunt, sæpius errarint: nec illi errores vel per correctorum incuriam, aut imperitiam, aut aliam causam correcti sunt, cum à Typographis fuerunt descripti.

IV. Quin itaque & hæc res aliquid obscuritatis pariat, non est negandum. Porro difficilis legum sensus redditur, si conjunctionum ordo non servatur; quod rursus inculcat Aristoteles, lib. 3. Rhet. c. 5. *Oportet autem,* inquit, *quoad meminerit, referri inter se* (scilicet conjunctiones, de his enim loquitur) *& non longè separare, neq; conjunctionem ante conjunctionem reddere necessariam; paucis enim in locis convenit. Ego verò postquam mihi dixit, venit enim Cleon & rogans & obsecrans, profectus sum, cum assumpsissem eos. In his enim multæ ante reddendam conjunctionem redditæ sunt conjunctiones, si verò multum interjectum est inter Profectus sum, obscurum est.* Quæ perturbata conjunctionum collocatio satis crassas textibus Iuris nostri tenebras offudit. Operam suam in his dispellendis præ cæteris probavit nobis Iacobus Cuiacius, & Antonius Augustinus, qui videri possunt, ne omnia coacervare cogamur.

V. Nova denique difficultas emergit, si leges ita sunt scriptæ, ut haud facilè in formam Enunciationum redigi possint. Quod nonnullis legibus, valdè familiare esse conspicimus. Sanè tam prolixæ dantur in Codice & Novellis Iuris Romani leges, quæ quoad amplificationem vel ornatum orationi vel è scholis Rhetorum profectæ non cederent. Auget hæc prolixitas laborem interpretis, dum non facile pe rspicere potest, quid nam illud sit,

quod

quod Legislator præcipiat: hoc autem pervidere non potest, nisi constet, quodnam sit subjectum, quodnam prædicatum alicujus legis. Ea verò inquirere & inter se conjungere, est Enunciationem formare. Quapropter ubicunque talis vel prolixitas, vel ornatus in legibus usuveniat, Interpretis erit illam in formam alicujus Enunciationis redigere, quò de mente, seu sensu legis certus fiat. Qua ratione verò hoc fieri possit, quamvis forte hic locus ea de re dicendi non adeò esset inconveniens, tamen certo de consilio quicquid hujus est, ad finem dissertationis reservabimus, dicturi deinceps quoque de propositionibus reduplicativis, Exponibilibus, conditionalibus & reliquis, consensum ICtorum & Philosophorum, quantum quidem fieri potest, elicituri.

CAPUT XXV.
DE
MENTE LEGIS.

Quo vulgaris & usitata ICtorum Romanorum distinctio, quâ inter verba & mentem legis distinguunt, non solum rationibus ex natura orationis petitis confirmatur, sed insuper autoritate Aristotelis & Suaresij, acutissimorum Philosophorum illustratur.

I.

HActenus de ijs, quæ ad verba legum pertinere visa sunt. Quoniam verò leges verbis quidé constant, non verò circa verba solùm occupantur, necessariò sequitur circa id, quod verbis continetur, easdem versari. Et verò cum supra latè diximus, non semper nos id, quod volumus vel exprimere posse, propter multas, quas ibi adduximus, causas; vel etiam non semper eo modo, quo à nobis profertur,

intelligi. Hinc fieri poteſt, ut ſæpè controverſia incidat inter verba legis, & inter id, quod verba ejus continent. Interpretes Romanarum legum vocant mentem, ſententiam ſeu rationem. Potuit enim quis verba protuliſſe, & perſuaſiſſe ſibi hoc, quod volebat, ſe ſignificaſſe; à nobis verò poteſt aliud intelligi, ſi ſcilicet vel Metaphoras adhibuit, hoc eſt, genus pro ſpecie, & hanc pro illo, vel ſpeciem pro ſpecie poſuit; vel proprietas vocabuli mutata fuit; vel æquivoca ſit vox; vel peregrina; vel in ipſa oratione amphibolia quædam lateat; aut interpunctio malè ſe habeat; aut conjunctionum ordo interturbatus. (de quibus omnibus late diximus. Quoties itaque hoc accidit, ſimpliciter verbis inhærere non poſſumus; ſed tentandum, an id, quod diſponens voluit exprimere, nec potuit, aliunde nobis poſſit conſtare. Quo adepto, non eſt, quod quicquam de verbis ſoliciti ſumus. Neque enim interpres primariò & per ſe circa verba, quatenus talia, occupatus eſt, ſed conſequenter, ſeu ſecundariò, quatenus nimirum per ea mens diſponentis exprimitur; quam ſi ſine his aſſequi valeamus, illa tam ſolicitè attentenda non ſunt. Illa enim eſt vera interpretatio legis, per quam mentem & voluntatem legislatoris aſſequimur, & ideò ſi quacunque ratione de mente legislatoris conſtare poſſit, ſecundum illam maximè erit lex interpretanda.

II. Hinc eſt, quod inquit Ariſtoteles, lib. Rhet. quod nos futuræ noſtræ diſquiſitioni tanquam fundamentum præmittimus. *Æquum eſt rebus humanis ignoſcere, nec legem legislatoris ſpectare; non verba, ſed ſententiam, nec actionem, ſed praelectionem, nec partem, ſed totum, nec qualis nunc, ſed qualis ſemper aut plerumq; extitit: & memoriâ tenere potius commoda quam incommoda, & quæ accepit commoda, quam quæ attulit, & ad arbitrum quam ad judicem accedere malle &c.* Ex

quo

quo loco satis perspicuè patet non tantùm legum verba esse interpreti attendenda, sed simul etiam alia, nempe mentem & sententiam legislatoris, omnia principia actionum humanarum,(hæc enim per prælectionem intelligit) imo totum negotium, de quo lex præcipit, hoc est, antecedentia & consequentia; sine quibus nulla actio aut simpliciter, aut saltem non benè, aut eo modo esse potest, quo lex vult. Qui insignis locus, ut jam diximus, fundamentũ est totius nostræ disputationis. Ex quibus patet, haud ruinoso fundamento niti distinctionem interpretum Romanorum, qui distinguunt inter mentem & verba legis, cum videamus hoc ipsum factum esse ab Aristotele. Nec res unquam fieri aliter potest: Si enim naturam verborum repetamus, quam suprà prolixè satis explicatam dedimus, deprehendemus sæpè nos non posse eloqui omne id, quod animo concipimus, & hoc neque intelligi ab ijs, à quibus id intellectum velimus. Quod si hoc etiam peritis usu veniat, quid dicemus de imperitis?

III. Quo posito, non potest non sæpissimè contingere, multò aliter verba, prout jacent, posse intelligi, quam reverâ mens alicujus disponentis fuit, quæ si sequeremur, & strictè intellecta vellemus, voluntatem, quam indicare debebant, potius obscurarent, quam manifestarent. Quapropter cum contingat, ut interdum munus seu officium, quod sustinent, perdant, tum ipsa amplius attendenda non erunt. Sanè equum conduco, ut citò in locum destinatum pervenire queam; quod si is non saltem id adiumenti mihi præstare non posset, sed insuper remoram mihi obijceret, Stultus sim, si malim equum retinere, & non pervenire in locum illum, quam eundem recusare & eò pertingere. Sic navem conduxi, ut in hanc vel illam regionem sine omnibus ambagibus proficisci queam, sed illa me transvectu-

vectura est in aliam; itaque meritò eam relinquo, præsertim si occasio se offerat, citius & melius sine navi eò perveniendi. Ita se res habet in verbis, quæ quidem propterea inventa sunt, ut supra docuimus ex Aristotele, ut indicent mihi voluntatem disponentis: quæ si aliunde mihi innotescere potest, non est, quod ijs indigeam, præsertim si illa sequuturus incertior de ea sim reddendus. Hinc firmiter ponimus omninò inter verba & mentem legis esse distinguendum: & illa propter hanc esse, & per consequens hanc illis esse præferendam, & præstantiorem. Quicquid enim præcipuè in legibus spectandum est, illud est præstantius, & reliquis præferendum. Sed mens est tale. Ergo. Major exterminis nota est: Minorem antea non solum firmis rationibus, sed ipsius etiam Aristotelis suffragio probavimus. Non est itaque illa traditio Iurisconsultorum, sed nititur ipsissimis rectæ rationis fundamentis, quæ convellunt ij, qui eam impugnant, aut se naturam verborum non satis intelligere produnt.

IV. Habemus consentientem, acutissimum Franciscum Suaresium lib VI de LL. c. 1. num. 7. *Tria igitur capita observanda sunt, quæ supra tractando de forma legis distinximus, scilicet verba legis, quatenus significativa sunt, mens legislatoris & ratio; & de singulis aliquid est dicendum, quoniam, ex his omnibus pendet vera interpretatio legis. Circa verba dicendum est, in omni lege humana primum omnium expectandam esse verborum proprietatem, hoc est, propriam significationem, nam ex illa maxime sumenda est vera interpretatio legis, semperq́ est præferenda, nisi aliud obstet.* Quod nos supra latè probavimus. In eodem capite num. 12. pergit his verbis: *Circa intentionem seu mentem legislatoris considerandum est, ab illa potissimum pendere tam substantiam quam efficaciam legis, quia ut probatum est in lib. 3. mens Legislatoris est anima legis;*

legis; unde sicut in vivente substantia & operatio vitæ ab anima maximè pendet, ita in lege à mente legislatoris. Illa est ergò vera interpretatio legis, per quam mentem & voluntatem legislatoris assequimur, & ideò quacunq; ratione de mente legislatoris constare possit, secundum illam maximè erit lex interpretanda. Quod potest confirmari ex principio generali, quod à Gregor. traditur in cap. Humanæ aures. 22. q. 5. Non debet aliquis verba considerare (utique nuda) sed intentionem & voluntatem, quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni. Quæ verba non inveniuntur in Gregorio, sed sunt Calestini, ut infra videbimus. Deniq; confirmatur ex usu jurium considerantium utiq; mentes legislatorum C. Si postquam de Elect. in 6. Ibi. Ex sui mente exigit &c. in C. secundo requires. de Appellat. ex intentione legislatoris verba extenduntur, quia verba intentioni deserviunt, ut ibi allegatur. Sic etiam in L. cum Mulier ff. Solut. matrim. ex mente legis negatur marito propter lenocinium accusatio uxoris de adulterio. Idem probatur optimè ex l. scire etiam per aliud ff. de Excusat. Tut. ibi. sed etsi maxime verba legis hunc habeant intellectum, tamen mens legislatoris aliud vult. Simile etiam de Testamentis dicitur, in l. Non aliter in prp. ff. de legat. 3. Ita videmus hominem acutissimum eadem nobiscum sentire, quamvis de rationibus, quibus veram hanc sententiam persuadere nobis conatur, unum & alterum moneri posset. Verùm immorari non lubet. Ex his ita positis variæ interpretum traditiones profluxerunt, quæ si dextrè explicentur & intelligantur, egregiè cum fundamentis nostris conspirant. Sunt nonnulli ex ijs, qui aliquantum duriuscule loquantur, sed nos res, non verba spectamus: condonandum est ijs hoc, modò rem, quam velint, eloquantur.

CAPUT XXVI.

DE

Consensu Ictorum Roman. cum ijs, quæ capite superiori confirmavimus.

I.

AVdiamus primò loco loquentem Stephanum de PHEDERICIS Brixiensem, qui part. 1. de Interpr. LL. ita scribit. *Lex ex duabus partibus constat scripturâ, seu verbis, & mente seu intellectu l. scire leges ff. de LL. C. Intelligentia. C. propterea. de V.S: sed mens seu intellectus potior est; quia à sensu legis recedendum non est, ut proprietas verborum observetur l.3. C. de liberis præterit. & cap. propterea de Verbor. S. quia non in folijs, sed ratione & sensu leges consistunt. I. q. 1. c. Marchion. facit l. non figura & l. obligationum substantia ff. de action. & obligat. & verba sunt notæ passionum in animo consistentium, ut dixit Aristoteles lib. περὶ ἑρμ. & dicit Baldus in princip. apparatus, esse quandam intellectus infirmitatem instare in ratione, ubi sensum habemus. Et quod mens potior sit quam scriptura, probatur pluribus rationibus. Primò quia potior est finis, quam ea, quæ sunt ad finem, & verba propter mentem significandam, non mentem propter verba concessit. L. Labeo de suppell. legat. facit cap. 2. requiris. Xra de Appellat. Ergo &c. Secundò ea, quæ per se subsistunt, potiora sunt, quam ea, quæ ab alio dependent. At verba dependent à mente, non mens à verbis l. In conditionibus ff. de Condit. & demonstrat. cap. intelligentia X. de V. S. Tertiò, quod perfectius est, alteri præstat. At mens perfectior est, quia multa sunt, quæ magis intelligi, quàm verbis edici possunt. l. ratam ff. de Solut. l. Quò enim tutore §. Iulianus ff. rem ratam haberi : & quia plura sunt negotia, quam vocabula, l. natura ff. de Præscript. verb. Quartò, Certa sunt potiora quàm obscura & incerta; at mens certior est, quam verba, quia nec falli nec fingi potest, verba verò possunt. l. fraus ff. eod. l.*

non

non dubium C. de legat. Quintò, quia ea, quæ sine alio esse possunt, potiora sunt his, quæ sine alio esse non possunt; At mens sine verbis esse potest, l. nutu ff. de Leg. 3, non verba sine mente l. 2. ff. de rebus dub. Ergo. &c. Vbi enim mentem abesse credimus, verba pro nihilo habentur. l. non solum ff. de action. & obligat. Sextò quæ sunt similia melioribus, potiora sunt ijs, quæ sunt similia deterioribus. At mens animæ similis esse dicitur, verba verò corpori. 38. distinct. cap. sedulò. Vnde illud oraculum Pauli; Litera occidit, spiritus vivificat, de quo per gloss. in l. non dubium C. de LL. sensus enim non vana nominum vocabula amplecti debet l. 2. C. de constit. pecunia. Ita verbis præponenda mens, sicut verus amicus ficto. dict. cap. sedulo.

II. In hunc sensum plura congessit Camillus Gallinius Ticinensis, qui non tantum suam sententiam ostendit, sed etiam pro illa plures allegat interpretes, quorum alij durjusculè quoq; sunt locuti, sed rem tamen ipsam voluerunt. *Lib. 1. c. 24. de V. S. num. 7.* ita ait. *Quapropter non verborum ratio tantum attendi debet, sed mens ipsa animiq; voluntas l. scire oportet §. si aliud ff. de Excusat. Tut. sed nec tam verborum habenda erit ratio, quàm mentis, cum nunquam tanta sit verborum quam sensus ac mentis ipsius facultas, potissimum autem in supremis hominis mandatis & ultimis voluntatibus, in quibus cum dubia ancepsq; fuerit verborum significatio, mens magis voluntasq; testatoris consideranda est, quam verba l. cum virum C. de Fidei com. in quem locum scribit Albericus, verba nunquam ipso sensu & intellectu potentiora censeri, secundum l. 3. C. de liber præterit. & Angel. in consil. 27. in fin. Cæpoll. in rubro de verb. signifi. n. 5. q. 2. princ.*

III. Eodem libro cap. XXI. gemina his scribit, quæ transcribere lubet, cum ex ijs consensum Iurisconsultorum videre liceat. *Quamobrem debent semper verba menti ac voluntati deservire & ancillari cap. intelligentia de V. S. cap. 15.*

autem 22. q. 2. cap humanæ aures. 22. q. 5. c sedulò 38. distinct. ubi dicitur, ita præponendas esse verbis sententias, ut præfertur animus corpori, cum similibus ad hoc per Curt. seni. in cons. 4. colum. 2. sub num. 1. & à Iason. in d. l. 3. C. de liber. præterit. Vetusq; est Iurisprudentium assertio, mentem prædominari debere verbis. l. cum proponebatur de leg. 2. l. Pamphilo in pr. de leg. 3. l. unum ex familia. §. fin. de leg. 3. quem tex. multum commendat hoc in cons. 42. col. 7. vol. 1. l. 111. C. de lib. præter. ubi habetur, nunquam proprietatem ità attendendam esse, ut melior sit sensu l. hæredes mei §. cum ita, ubi omnes notant ad Senatuscons. Treb. & latissimè omnium Zanch. ibi qui per. 3. col. insistit à num. 133. usq; ad num. 140. qui addit pulcherrimum tex. in l. cum de Lanionis §. asinam, ibi. optimum ergo esse Pedius ait, de fun. instruct. & instrum. leg. ad ostendendum quod mens principem locum teneat, ut etiam dicitur in l. in conditionibus primum locum ff. de Condi. & demon. sed illo non est inferior tex. in cap. Marchion. & Basilides. 1. q. 1. ubi D. Hieronymus. Nec putamus, inquit, esse in verbis scripturarum evangelium sed in sensu; non in superficie, sed in medulla; non in sermonum foliis, sed in radice rationis. Et plura in hanc rem congerit Soci. Iun. in cons. 85. col. 2. sub num. 6. cons. 98. sub num. 7: vol. 1. & latius in consil. 167. sub num. 5. & 6. vol. 2. Ias. in cons. 41. col. 2. sub num. 1. Cur. Iun. in cons. 121. ante num. 12. ideoq; in contractibus quamvis regulariter stricta fiat interpretatio, & nisi quid verbis exprimatur, censeatur omissum l. quicquid adstringenda, de verb. oblig. & l. veteribus de pact. nihilominus etiam in contractibus mens prædominatur l. si in venditione. Com. Prædio l. ita stipulatus §. item si quis ita: de verb. obligat. in ver: ex sententia contrahentium l. semper in stipulationibus. de reg. jur: Ias. in leg. in conventionalibus: de verb. obligatio 2. not. & plenius in l. si tibi pecuniam in primo notab. & pulchre Socin. in 3. Cagnol. in l. vinum ad fin. si cer: pet. Dec. in cons. 407: col. 3. ad fin. & 4. in princ. sub num. 7: glo. in L. Blanditiis C. de fidejus.

& est

& est tex. in l. sed Celsus §. 1. de contrah. emp. & in l. Divus §. Item Senatus. vers. & quanti de fals. In ultimis autem voluntatibus res non habet difficultatem; quia mens testantis totum facit, & omnium est regina l. ex facto §. rerum ubi Bar. & alij de hered. instit. & primum locum obtinet l. in conditionibus de conditio. & demonstr. & ita observatur tacita voluntas ut expressa l. cum res ubi Ias. in 6. notab. de leg. 1. & magis attenditur voluntas testatoris, quam unitas sermonis, & quam natura collectiva l. in testamento C. de testam. mil. d. l. cum avus. ubi Soci. sub num. 54. & hoc maximè obtinet in materia fideicommissorũ, quae adeo fundata est in voluntate defuncti, ut quibusq; verbis conjecturis seu praesumptionibus possit apparere; sufficiat. Alex. in cons. 100. sub num. 5. col. 4. Ias. in cons. 154. col. pen. lib. 4. sequitur Zanch. in d. l. haeredes mei §. hac verba, de l. 3. in l. pen. §. fin. de l. 2. in l. si sponsus §. si quis rogatus de donat. inter vir & uxor. Marzar. in consil. 5. pag. 44. ver. hinc etiam. in consil. 6. pag. 43. ver. hinc etiam Alex. quibus in locis alios in hanc sententiam citat, & ideo verbis enunciativis fideicommissaria voluntas inducitur l. Pamphilo §. hac verba. ubi Bar. per illum tex. de l. 3. & d. l. fideicommissa §. hac verba. eod. tit. & alijs quibuscunq; l. etiam hoc modo & l. eo modo de leg. 1. & non solùm expressa sed etiam tacitâ voluntate, quae ex conjecturis colligitur l. cum proponeretur de legat. 2. l. qui solidum §. 1. eod. tit. Bart. in l. Imperator de legat. 1 & est communis opinio ut per: Paris. in consil. 92. sub num. 15. lib. 2. Socin. Iun. in cons. 181. num. 20. lib. 2. & alibi saepe Rimi. in cons. 135. sub num. 30. lib. 2. Ias. in d. l. cum res in 6. not. sub. num. 6. de legat. 1. ita ut quomodocunq; in fideicommissis voluntas disponentis habeatur, illa sit attendenda potius quam verba, d. l. 111. §. conditio de admi. leg. l. cum virum ubi Bald. C. de fideicommis. Dec. in cons. 227. num. 8. & 9. & 425. sub num. 14. Bero. cons. 84. n. 10. lib. 2. & praesertim quando sequitur ex eo, quod est expressum. Dec. in cons. 464. sub n. 15. & generale est in quacunq; dispositione, ut verba ancillentur

 menti.

menti ac voluntati, propter quam exprimendam sunt inducta, latè D. Alcia. in 2. & 3. lib. de ver. significat. Andr. Tiraq. in l. si unquam C. de revoca. donat. in ver. libertis, sub n. 5. cum seq. Cagnol. in l. semper in obscuris sub n. 5. de reg. jur. etiam si sequatur annulatio actus Crave. in cons. 296. colum. 4. sub n. 8. ver. quando per illam & Ripa in d. l. hæredes mei §. cum ità sub n. 32. ad Senat. Trebell. ut enim scripsit Bald. in c. mandatum col. 1. de rescrip. mens est radix verborum & ejus substantia prima, corq; est imperator linguæ, & tanquam mancipium illum habet sub sua jurisdictione, & ideo lingua cedit cordi ac subjugo mentis verba consistunt, tanquam sub suo proprio originali. Ex his patet Iurisconsultos idem prorsus sentire cum Philosophis, quamvis de rationibus aliqua adhuc intercedat discrepantia. Non possumus nobis persuadere omnes rationes, quæ hactenus ex Iurisconsultorum libris recensitæ sunt, concludere: interim veram sententiam ex ijsdem haurire licet, quemadmodum vidimus.

CAPUT XXVII.

DE

Objectionibus nonnullis, quæ contrà distinctionem superiori capite assertam obijci possint.

Quæ potissimum ex Suaresio adducuntur, & Cicerone, & sic prior distinctio solidius confirmatur.

I.

NEque tamen putandum est mentem solam posse sufficere ad interpretandam legem, cum hæc non nisi per verba nobis innotescere possit. Impossibile enim est voluntatem alicujus, forte ante seculum declaratam, à nobis posse cognosci, nisi per voces, vel ab alijs ore prolatas, vel scripturâ comprehensas: itaq; ad voluntatem investigandam omnino verba requiruntur: neque ea prorsus excludenda.

Verum

Verùm ita habendum, *iis solis non posse nos inhærere*, cum ea interdum voluntatem exprimere non possint, propter causas jam ante dictas. Sed ut verum sensum legis seu genuinam disponentis voluntatem assequamur, requiri, ut præter verba alia adjumenta asciscamus, per quæ in certam notitiam voluntatis penetrare possimus. An autem talia dentur, quæ item, qualia & quot sint, dicetur infra. Confirmat hanc sententiam egregiè Franciscus Suaresius l. vi. d. LL. c. 1. n. 13. cujus verba ascribemus. *Quæret verò aliquis*, inquit, *qui fieri possit, ut mens præter verba aliquid conferat ad legem interpretandam. Quia homines non possunt mentem alterius hominis percipere, nisi ex verbis ejus.* Et paulo post. *Nam si legislator per verba legis suam mentem non declararet, non constitueretur lex, nec oriretur obligatio, etiamsi ex aliis conjecturis possemus aliquo modo voluntatem legislatoris cognoscere, quia (ut supra dictum) lex non constituitur voluntate Principis, nisi per verba legis sufficienter expressa, quia voluntas sua non sufficit per se ad obligandum, nec etiam est satis, quod aliunde privatim innotescat, sed necesse est, ut ipsa lege sufficienter contineatur; ergò non possumus è contrario per voluntatem cognoscere verborum sensum.*

II. Iam num. 14. sibi respondet. *Ad interrogationem respondetur, cum dicimus mentem legislatoris deservire ad interpretandam legem, non esse sensum, ipsam voluntatem legislatoris merè internam vel secundum se spectatam esse posse regulam interpretandi legem; contra hunc enim sensum rectè procedunt objectiones factæ; sed sensus est, verba nudè sumpta sæpè esse ambigua & ex variis intentionibus & voluntatibus posse procedere, & ideò ex adjunctis, hoc est, ex materia, aut circumstantiis prudenter pensandum esse, ex qua voluntate & intentione processerint, & tunc ad intentionem legislatoris accommodandam esse verborum significationem & interpretationem. Unde*, pergit

pergit, *ad confirmationem fatemur, legem non constitui per internam voluntatem, nisi in lege ipsa sufficienter manifestetur, ut probat ratio facta. Nihilominus tamen ut verba legis sufficienter indicent intentionem & voluntatem legislatoris, non est necesse, ut abstractè & nudè sumpta illam indicent, sed possunt & debent ex omnibus adjunctis determinari.* Ita solvere placuit acutissimo viro. Quod verò mens, si ex adjunctis, materiæ, & alijs circumstantijs haberi potest, cortici verborum præferenda sit, ut clamat tota Iurisconsultorũ schola, & supra rationibus non contemnendis probare conatus est Stephanus de Federicis, prorsus eadem sentit, & uberiùs explicat, cujus loci sanè elegantis transcriptione non supersedebimus. Num 15. hæc habet.

III. *Secundò interrogari hic potest, an mens legislatoris plus conferat ad veram interpretationem legis, quam verba, vel è converso. Nam ex dictis videtur sequi, plus menti esse tribuendum, quam verbis, quia mens est præcipuum in lege: nam est vita ejus. Item propter quod unumquodq; tale est, illud magis tale, sed verba sunt propter mentem & non econtra. E. Præferenda est mens verbis. Ita primò pro mente argumentatur.* Eodem numero paucis interjectis proverbis sic objicit. *In contrarium verò facit, quia licet ordine intentionis mens sit prior verbis; sic enim dicuntur verba esse propter mentem, quia ad illam indicandam instituta sunt; nihilominus ordine executionis, seu in genere causæ instrumentalis priora sunt verba; nam per illa devenimus in cognitionem mentis ac voluntatis legislatoris; ergò præferenda est verborum vis in legis interpretatione & confirmatur: nam illud est præferendum, quod certius est; sed verborum proprietas est certa & clara; mens autem legislatoris solùm per conjecturas cognoscitur, in quibus sæpè homines falluntur: ergò præferenda sunt verba per se loquendo, vel saltem regulariter.*

IV. Iam respondet eleganter & acutè. *Respondeo*

hanc,

hanc comparationem non posse fieri inter verba legis & voluntatem legislatoris, ut in se est merè interna, cum voluntas hoc modo non cognoscatur, neq; ut sic deservire possit ad intelligendam legem. Potest ergo fieri comparatio, vel inter verba ex una parte & alias conjecturas, quibus mentem legislatoris indagamus, ex alia verò inter vim & proprietatem verborum, & mentem legislatoris sufficienter conjectatam, per varia signa simul sumpta. Priori ergo modo dicendum videtur, verba per se loquendo esse potissimum signum voluntatis legislatoris & illo maximè utendum esse ad mentem legis perspiciendam, non tamen illo solo, sed simul cum aliis, à quibus interdum vinci & superari potest. Primum horum intendunt Doctores allegati, & constat, quia significatio verborum est magis expressa & certa. Item quia verba sunt, quæ ex intentione legislatoris potissimum assumuntur ad declarandam voluntatem suam; ergò etiam illa primò & principaliter consuli debent ad eandem voluntatem cognoscendam. Altera verò pars sufficienter probata est in principali regula & in declaratione præcedentis dubitationis. Unde constat in secundo sensu comparationis mentem legis, utcunq; sufficienter cognita sit, esse verbis præferendam, quod satis probant rationes priori loco facta. Ita patere puto in legum interpretatione omnino mentem & verba distinguenda esse, quanquam alterum in alterius veniat adjumentum. Quemadmodum enim sola verba haud sufficiunt ad exprimendam voluntatem; sic nec sola mens sine ullo verborum auxilio rem conficiet. Quapropter necesse est, ut conjunctis viribus id præstent.

V. Equidem supra optavi, quod denuo hic facio, ut tot essent voces, quot res; & ut æqualis eorum esset ambitus; hoc est, neque voces latius paterent, quàm res; sed quælibet vox totam rem, neq; minus, neq; plus eâ diceret, neq; etiam aliam rem quampiam; tum fortè multis tritis

T &ina-

& inanibus verborum collisionibus possemus supersedere. Verùm quoniam ipsa rerum multitudo & elegantia etiam, & æquivoca & metaphoras & linguas & ambigua & obscura pepererit, Iurisconsultus seu interpres id, quod rebus ipsis adhæret, mutare non potest; & quando is cogitur, cogente rei naturâ, necessariò distinguere, non ejus distinctio incusanda, sed ipsa rerum & orationis natura, quā mutare, ut jam dictum, non est in arbitrio interpretis. Neque hoc solum usu venit interpreti legis, sed in universum omni illi, qui orationes seu sermones hominum interpretatur. Neque enim peculiare ibi quicquam est, cùm & ipsi verbis utantur, quibus hæc, de quibus diximus, accidere possunt. Nisi itaq; velit interpres voluntatem ejus, cujus dispositionem interpretari vult, deserere, seù potius pervertere, necesse est, ut interdum aliquantulum à verbis recedat. Alias multa quoque absurda & injustissima quæq; sequerentur, si verborum aucupia sectaremur.

VI. Docet id elegantissime M. T. Cicero in orat. pro A. Cæcinna, cujus locum ascribemus. *Annon*, inquit, *cum voluntas & consilium & sententia interdicti (sic etiam res se habet de qualibet lege) neq; intelligatur, impudentiam summam, aut stultitiam singularem putabimus, in errore verborum versari: rem & causam & utilitatem communem non relinquere solum, sed etiam prodere. An hoc dubium est, quum neq; verborum tanta copia sit, non modo in nostra lingua, quæ dicitur esse inops; sed ne in alia quidem ulla, res ut omnes suis certis ac propriis vocabulis nominentur? neq; verò ita quicquam opus sit verbis, cum ea re, cujus causa verba quæsita sunt, intelligatur. Quæ lex, quod Senatusconsultum, quod Magistratus edictum, quod fœdus, aut pactio, quod (ut ad res privatas redeam) Testamentum, quæ judicia, aut stipulationes, aut pacti & conventi formula non confirmari aut convelli potest, si ad verba rem deflectere velimus, consilium*

silium

ſilium autem eorum, qui ſcripſerunt, & rationem & auctoritatem relinquamus. Sermo mehercule & familiaris & quotidianus non cohærebit, ſi verba nos aucupabimur: Deniq; imperium domeſticum nullum erit, ſi ſervulis hoc noſtris conceſſerimus, ut ad verba nobis obœdiant, non ad id, quod ex verbis intelligi poſſit, obtemperent.

VII. Illuſtrat poſtea ſententiam ſuam elegantibus exemplis, ex media juriſprudentia petitis, quæ nos pro noſtris adducemus. Conſiderat verò illud ipſum interdictū, ex quo A. Cæcinnæ cauſam agebat. *Intelligetis*, inquit, *in eo ipſo (*intelligit hoc interdictum*) ſi in verbis jus conſtituamus, omnem utilitatem hujus interdicti, dum verſuti & callidi eſſe volumus, amiſſuros.* Vnde Tu aut familia, aut Procurator tuus. *Si me villicus tuus ſolus dejeciſſet, non* FAMILIA *dejeciſſet, opinor, ſed aliquis de familia. Rectè igitur diceres te reſtituiſſe.* Quippe. *Quid facilius eſt, quam probari ÿs, qui latine ſciunt in uno ſervulo familia nomen non valere? Si verò ne habeas quidem Servum, præter eum, qui me dejecerit: clames videlicet, ſi habeo familiam, è familia mea fateor te eſſe dejectum. Neq; dubium eſt, quin, ſi ad rem judicandam verbo ducimur, non re, familiam intelligamus, quæ conſtet ex ſervis pluribus, quia unus homo familia non ſit. Verbum certè hoc non modo poſtulat, ſed etiam cogit. At verò ratio juris, interdicti vis & prætorum voluntas & hominum prudentium conſilium & auctoritas, reſpuat hanc defenſionem & pro nihilo putet. Quid ergò? iſti homines latinè non loquuntur? immò verò tantum loquuntur quantum eſt ſatis ad intelligendam voluntatem, cum ſibi hoc propoſuerint, ut ſive me tu dejeceris, ſive tuorum quiſpiam, ſive ſervorum, ſive amicorum, ut ſervos non numero diſtinguant, ſed appellent uno familiæ nomine. De liberis autem quisquis eſt Procuratoris nomine appellatur: non quod omnes ſint aut appellentur procuratores, qui negotÿ noſtri aliquid gerant; ſed in hâc re, co-*

gnitâ sententiâ interdicti, verba exquiri omnia noluerunt. Non enim alia causa est æquitatis in uno servo & in pluribus, non alia ratio juris in hoc genere duntaxat, utrum me tuus procurator dejecerit is, qui legitimè procurator dicitur, omnium rerum ejus, qui in Italia non sit, absitve Reip. causa, quasi quidam pæne Dominus, hoc est, alieni juris vicarius, an tuus colonus aut vicinus, aut Cliens aut libertus, aut quivis per illam vim dejectionemq; tuo rogatu aut tuo nomine fecerit. Quare si ad eum restituendum, qui vi dejectus est, eandem vim æquitatis ratio habet, ea intellecta certè nihil ad rem pertinet, quæ verborum vis sit ac nominum. Tam restitues, si tuus me libertus dejecerit, nulli tuo præpositus negotio, quam si procurator dejecerit; non quod omnes sint procuratores, qui aliquid negotij nostri gerunt, sed quod in hac re quæri nihil attinet. Tam restitues si unus servulus, quam si familia dejecerit universa; non quod idem sit servulus, quod familia; verum quia non, quibus verbis quidquam dicatur, quæritur, sed quæ res agatur. Ne omnia huc transcribamus, quæ summariè, paucis interjectis, interferit, adducemus. *Atq; ut magis intelligas,* inquit, *quam nihil verba faciant.* Paulo post: *verum in his causis non verba veniunt in judicium, sed ea res, cujus causa verba hæc in Interdictum conjecta sunt.* Non longè post. *Quibus enim rebus plerumq; vis fit, ejusmodi hæ res appellantur interdicto, si per alias res eadem facta vis est, ea tametsi verbis interdicti non concluditur, tamen sententiâ juris & autoritate retinetur.*

Caput XXIIX.
DE
Generibus Interpretationis.

Ubi de Extensione ex natura rei disseritur, & rejicitur; refelluntur aliquot objectiones, quæ contrà adduci posse videbantur.

I. Vidi-

I.

VIdimus hactenus, quot obscuritatis genera in legibus oriantur & oriri possint: nempe ratione rerum, seu mentis, quæ in lege continetur, & vocum, harumq; vel seorsim consideratarum, vel conjunctarum: ex his enim lex constat. Iam nulla alia opera aut labor Interpretis fingi aut cogitari potest, quàm obscuritatis sublatio; In hoc enim totum ejus officium verti rectè dicimus, adeò ut, si non adsit obscuritas, neq; opera ejus requiratur; & si sublata sit, rursus cesset. Vltimum itaq; & primum hoc est, quo omnem interpretem æstimamus. Qui itaq; benè obscuritatem tollere potest, bonus erit interpres; qui secus, malus. Et dubium non est, quin alius alio hoc possit præstare melius, & hinc sequitur quoque alium alio esse perfectiorem Interpretem.

II. Quot autem obscuritates sunt in legibus, tot etiam erunt modi illas ex ijs auferendi; sed, ut hactenus vidim⁹, duæ sunt; nempe ratione rerum & vocum; inter has enim distinguendum esse latè probavimus. Ergò duo quoq; modi ejusmodi erunt. Modos autem illos, omnes vocant Interpretationes. Per quem itaque modum tollimus obscuritatem, quæ orta est ratione vocum, vocabimus declarativam seu explicativam; ita enim hunc appellatum videmus apud omnes. Per quem verò eam, quæ rerum occasione nata est, declaramus, alio nomine vocandus erit. Aristoteles vocat ἐπανόρθωσιν, seu correctionem; Iurisconsulti Romani Restrictivam. Hos duos modos leges declarandi fortè solos quis diceret, si legum naturam in genere, non harum aut illarum in hac vel illa Republica consideraret. Nō latet nos ab Interpretibus Romanarum legum addi tertiam speciem, nempe Extensivam: sed quæ necessitas eos adegerit ad hanc statuendam, dicemus pluribus. Certè ali-

ter haud potuerunt, nec hodie possunt, quandiu in interpretatione illarum legum versantur, verùm secus se res habet, si legum naturæ, prout esse vel debebant, vel solent, exactè ponderatur. Nos inquiremus, & nî fallor, demonstrabimus ex fundamentis præmissis saltem duplicem esse; nihilominus tamen rectè fecisse Iurisconsultos Romanos, quod tertiam in legibus Romanis adjecerint.

II. Vt autem commode hoc à nobis fieri possit, repetemus ea, quæ supra diximus, cum agebamus de Subjecto Interpretationis, nempe de legibus. Diximus ibi latè, & nî fallor, satis firmiter probavimus, (quibus propositionibus probatis tanquam principiis utemur) omnes leges esse contingentes: & simul necessariò esse universales. Quibus positis, non potest non necessariò sequi, dandam esse quandam earum *correctionem*, ut loquitur Aristoteles, quem Iurisconsulti Romani *Restrictionem* vocant. *Extensionem* verò leges universales meritò respuunt. Qui enim extendit legem, eam reddit universaliorem; hoc est, facit, ut de iis quoque intelligatur, de quibus non potest intelligi; hoc autem est legem universaliorem efficere. Qui autem legem universaliorem efficere cupit, is fateri cogatur necesse est, legem non satis esse universalem; qui autem hoc admittit, is negat legem universalem esse debere, aut hanc esse rectè latam; quod infestis signis pugnat cum ijs, quæ supra latè ex Aristotele disseruimus. Et cum lex, ut etiam demonstratum, non in verbis solùm, neq; in sola mente etiam consistat, sequitur, quod quis legem, quæ hæc duo includit, non extendat, nisi simul, & verba & mentem extendat. Nam qui solùm verba, non legem; neq; qui solam mentem, rursus eam non extendit. Hæc enim solitariè considerata legem non constituunt, sed simul juncta.

IV. Non negamus quidem verba interdum generaliora

liora esse posse mente legis; & contrà hanc ijsdē; sed quando ea protrahimus, legem ipsam extendisse non possumus dici. Quodcunq; enim sub verbis legis continetur, tam in lege comprehenditur, quàm quod sub mente ejus; & quod hac, tam in ea comprehenditur, quàm quod sub verbis. Ad ea verò, quæ in lege ipsa comprehenduntur, non dici potest, fieri extensionē. Quod si instet quis; si verba angustiora sint ratione seu mente; ea esse dilatanda, ut rationi respondeant; non nego; si rursus ratio angustior sit verbis, & hanc protrahendam non nego; sed hanc *legis*, dico *legis* (est enim verborum vel mentis, quæ partes sunt legis) extensionem esse, pernego. Imò, si ultra & mentem & verba fieret protractio ad casus, quos Legislator neque mente neque verbo comprehendit, fieret aliquid vel contra vel præter ejus voluntatem; quod ab Interprete quàm longissimè abesse debet. Hujus enim solummodo est voluntatem disponentis, si obscura est, declarare, non contra eam quicquam facere.

V. Nec quicquam facit, quod ex restrictionis seu restrictivæ Interpretationis natura hic objici posset, nempe, quando lex universaliter loquens restringitur, ut non ad omnes casus universaliter applicetur, tum etiam aliquid fieri contrà vel præter voluntatem legislatoris: quoniam is legem tulit universaliter; jam autem universaliter non adhibetur. Respondemus ex jis breviter, quæ supra confirmavimus, falsum esse, hoc fieri contra vel præter voluntatem Legislatoris; novit enim quod peccetur, dum universaliter loquitur; novit præterea se non aliter quàm hoc modo loqui posse: novit denique legem universaliter minimè posse applicari, nihilominus tamen sumit id, quod ut plurimum fit. Fit itaque volente ipso restrictio; imo ipse legem restringit, si casus posteà emergat, cui legem il-

lam

jam applicari haud posse perspicit. Notabilia sunt hæc de re verba Aristotelis *lib. 5. Eth. cap. 14. In quibus enim necesse est, ut in universum dicatur, rectè autem id non potest lex id sumit, quod ut plurimum fit, non ignorans sanè, quod peccatur, & nihilominus tamen se rectè habet. Quippe cum peccatum in lege minimè sit, neq; in Legislatore, sed in rei ipsius natura consistat.*

VI. Aliter sanè longè se res habet in extensione; legem enim universaliter ferre & voluit & debuit; nam, inquit Aristoteles; *ἐν οἷς ἂν ἀνάγκη μὲν εἰπεῖν καθόλου necesse est universaliter loqui.* Quod si extendimus legem, dico legem; non verba ejus ad mentem, aut hanc ad illa, utiq; fatemur legem haud rectè esse positam. Negamus itaq; in legibus, si simpliciter eas consideramus, ab interprete fieri posse extensionem. Consideramus autem leges, prout esse debent: neq; has, aut illas in hac vel illa Republica. Ejusmodi enim accidentia ad artem seu scientiam quandam haud sunt referenda. Quin autem ab eo, qui *κύριον* habet, ad plures casus, etiam eos, qui neq; sub verbis neq; mente legis comprehenduntur, extendi possit, omni caret dubio. Quum enim novas condere possit, quis ipsum prohibebit latas ad alias res extendere? Ab interprete verò hoc fieri posse, id est, quod pernegamus. Nam ut breviter repetam, quod ante partim dixi, quicquid lex continet, id eruere est interpretis; (ejus enim est obscuritatem tollere) sed quodcunque sub verbis & mente latet, id continet lex; Ergo id saltem eruere potest. Quod autem neque sub mente, neque sub verbis comprehenditur, ad id Jurisconsulti seu Interpretis opera non pertingit.

VII. Sed video impendere novam difficultatem: Nempe fieri potest, ut aliquid contineatur magis in Lege, aliquid minus; Id enim magis eà comprehendi dici possit, quod & verba & mens designant; quàm quod ab alte-

rutro

rutro horum saltem denotatur. Quo posito gradus quidam comprehensionis concedendi videntur, secundum quos quippiam magis vel minus comprehendi dici posset, & quidem ità, ut admodum debiliter, imò ferè non contineatur. Quo casu ad minimum extensione opus esse videtur;neq; enim omninò à mente exclusum est;ponimus enim debiliter saltem contineri; neq; tamen omnino continetur. Vt itaq; palam fieret, etiam contineri, necesse videtur accedere prudentis interpretatio, per quam confirmetur quoq; comprehendi. Verùm tanti non esse videtur, ut à nostra sententia abeamus. Primò quod dicitur aliquid verbis contineri posse, aliud verò mente designari, id quidem simpliciter intellectum falsum est. Supra enim satis demonstravimus de mente nobis constare non posse,nisi significatio verborum aliquo modo concurrat. Deinde, quod dicitur aliquid magis vel minus contineri posse, id itidem à vero alienum. Non enim gradus dantur cognitionis cujusdam, qui de rebus suis vel alienis disponit; hoc est, si de certis rebus disponit, non magis vult, aut scit se disponere circa has, quàm illas, aut illas etiam dispositione illâ comprehendi; sed scit,se de omnibus illis disponere, de quibus disponit; & illæ, de quibus dispositio facta est, non magis vel minus illâ quoq; comprehenduntur. Sed alterius cujusdam notitiæ, qui dispositionem illam interpretatur, fieri potest, quod dentur gradus, imò omninò dantur; unus enim altero perfectius cognoscit, quidnam hâc vel illa lege, pacto, Testamento vel dispositione contineatur. Quod si jam inde gradus illos extruere velimus, absurdi erimus. Si enim extensio dicenda esset ad ea, quæ quis non intelligit dispositione contineri, fieri potest, quod una eademq; dispositio extendenda sit sæpiùs & non extendenda. Imperitus enim, qui disponentium voluntates

 scru-

ſcrutari non poteſt, nihil aliud comprehendi putat, quàm quod verba primâ fronte præ ſe ferunt. Si itaq; reſpectu hujus extenſio fieret ad ea, quæ paulò oculatior videret; & hic non omnia cognoſceret, ad ea, quæ ipſo ſapientior; ſi ne hic quidem omnia, ad ea porrò proceſſus fieret, quæ iis omnibus prudentior perſpiceret; & tandem ad ea, quæ omnium prudentiſſimus. Verùm hoc modo non fieret extenſio legis, ſed progreſſus ad illam cognitionem, quæ reſpectu aliorum de intellectu diſpoſitionis alicujus eſt perfectior. Hanc autem nemo ſanæ mentis vocabit extenſioné.

IIX. Hoc diffitendum non eſt, interdum abſtruſum admodum & obſcurum eſſe, quodnam mente contineatur; hoc alius alio omninò perfectius cognoſcit, & in eo etiam perfectionem Interpretis collocamus, qui accuratè perſpicit, quid quavis diſpoſitione ſit comprehenſum. Hinc neceſſe eſt, ut is, qui hoc munus ſubire velit, ſit συνετὸς, hoc eſt, perſpicax & acris ingenij, qui citò & dextrè aliorum mentes conjectare poſſit. Hinc eſt, quod ſupra illam facultatem, quam Ariſtoteles σύνεσιν vocant, ſimul ad interpretandi habitum requiri diximus. Comprehendendi autem modus quippiam unus non eſt. Aliud enim comprehenditur expreſſè, aliud vero tacitè, hocq; variis modis. Quodcunque autem comprehenditur, ſive hoc ſive alio modo, de eo lex intelligenda eſt. Comprehenduntur autem quædam ut media ad finem; ut antecedentia & conſequentia; ut pars & totum; ut correlata; aut quæ prorſus eadem ſunt vel revera, vel fictione, hocq; vel legis, vel hominum. Quæ omnia ſuo modo in lege comprehenduntur. Sed quamvis quis noverit etiam antecedentia comprehendi, ſi de conſequentibus quid diſpoſitum ſit; ſi ſcilicet primò inter ſe cohærent, ut neq; naturâ neq; moraliter, hoc eſt ſine violatione vel legum, vel honeſtatis ſeparari nequeant, ignorare

tamen

tamen potest, quænam sint antecedentia, quænam consequentia; Item quænam in hoc casu sint, de quo est quæstio. Ita se res habet de reliquis nempe correlatis, mediis ad finem & hujus generis similibus. Hoc accidere posse non dubitamus. Quo circa interpretari non cujusvis est, sed ejus solummodò, qui est prudens. Hinc quemadmodum leges à prudente profectæ sunt; ita easdem interpretari prudentis esse dicimus Quodcunq; verò sub lege comprehenditur, sive expressè sive tacitè, id continetur: & ad id, si explicetur eâ comprehendi, non dici potest facta extensio. Quodcunq; enim quoquo modo ex lege est, seu mens legis continet, ad id lex non extenditur. Hæc de extensione ex naturâ rei seu fundamentis rectæ rationis dici posse videntur.

CAPVT XXIX.

DE

De Exemplis Interpretationis ex corpore Iuris Civilis petitis.

I.

QVare verò Iurisconsulti Romani præsertim ij, qui post revocatum Ius Civile in usum floruerunt, coacti sint hanc adijcere, nempe tertiam, causæ non sunt nullæ; sanè si leges illas accuratiùs aliquanto contemplamur, aliter fieri non potuit. Plurimæ enim leges, quæ in corpore Iuris Civilis compilatæ sunt, haud sunt universales. Neq; id solum de ijs, quæ in Codice & Novellis, sed de ijs quoque quæ in ipsis ff. habentur, affirmare licet. Præterquam enim quod leges Codicis pleræque ad petita vel præsidum, vel præfectorum, vel privatorum etiam in particularibus casibus sint rescriptæ, quemadmodum inspicienti patet, & nemo Iurisconsultorum negat, etiam haud exiguus harum

numerus ipsis Pandectis concluditur. Cum enim antea solùm utebantur legibus XII Tabb, quæ more solito universaliter erant latæ, prout ex fragmentis, quæ supersunt, videre licet; illis autem statim, quod Aristoteles *lib. 5. Eth. c. 14.* docet, accidebat. *Nempe non poterant illæ propter universalitatem, quâ erant perscriptæ, omnibus emergentibus casibus applicari, hinc necessariò prudentum Interpretatio requirebatur, qui eas restringerent, rectéq. casibus applicarent.* Quod docet ipse Imperator *l. 2. §. 5. his legibus. de Origine Iuris. His legibus latis,* inquit, (intelligit autem 12. Tabb. leges) *capit ut naturaliter evenire solet* (aliter enim fieri non posse nos suprà docuimus) *ut interpretatio desideraret prudentium autoritate necessariam esse disputationem fieri.*

II. Illæ interpretationes prudentiū postea de die in diem creverunt, adeò ut in aliquot millia librorum fuerint multiplicatæ. Harum interpretationum pleræq; non potuerunt non esse particulares, cogente rei ipsius naturâ. Nam interpretabantur Leges universales, quod non aliter, quàm restringendo fieri poterat. Quibus enim casibus eæ applicari non poterant, eos excipiebant. Non possumus autem excipere ab universali aliqua propositione, nisi per particularem; hinc harum plurimæ in Corpore Iuris erunt inveniendæ. Idem accidit Senatus consultis, Edictis Prætorum, & Edicto Perpetuo, Plebis scitis, & si quæ alia apud Romanos vim legum habuerunt. Quæ quantum ex fragmentis eorum patet, omninò fuerunt lata universaliter, quemadmodum id requirit Aristoteles. Hæc jam itidem restrictione opus habuerunt, quam Iurisconsulti latissimis voluminibus perscripserunt. Neque solum huic operam dederunt; sed insuper solicitè in mentem & verba legum illarum, sive Rescripta Principum sive 12 Tabb. sive Edictum Perpetuum, sive Edicta Prætorum, Senatus consulta,

sulta, Plebis scita, Constitutiones Principum & Rescripta fuerint, inquisiverunt, & quicquid eâ comprehensum putârunt, latè & prolixè explicârunt; quomodo non extenderunt, ut multi sibi persuadent, sed id quod mente legis comprehendebatur, subtiliter enuclearunt. Quod multis legibus & locis probari posset.

III. Illas interpretationes postea Iustinianus Imperator collectas in unum corpus compegit, adeo ut pleraqꝫ quæ inibi sunt conclusa, nihil aliud revera, quam quædam interpretationes Iurisconsultorum sint ad leges Romanas strictè ità dictas scriptæ. Inter quas quin plurimæ, scilicet eæ, quæ ex restrictione profluunt, sint particulares, nullum est dubium. Hæ quum à Iustiniano non minus vim & robur obligandi acceperunt, ac aliæ leges & à nostra quoqꝫ Majestate receptæ (sive expresse sive per consuetudinem, non disputo) nos non minùs quàm aliæ leges quidem obligant, sed particulares tamen utique sunt. Quoniam vero hæ hodie nobis tanquam leges interpretandæ sunt, non poterunt caussis applicari, nisi ex jis reddatur aliqua propositio, quæ sit universalis, aliâs in syllogismo practico 1. fig. vix adhiberi poterit. Ex particulari verò seu minus universali reddere universalem seu universaliorem est extendere. Hinc videmus nostros Iurisconsultos, qui leges illas Romanas, quarum quædam universales sunt, quædam particulares, coactos fuisse præter explicativam & restrictivam etiam adjicere extensivā. Haud temerè alias interpretationes in corpore Iuris Civilis invenies quàm restrictivas & explicativas. Extensivæ rarò occurrent. Nam accuratè rationem seu mentem legis vel Edicti, vel Senatus consulti &c. indagantur & quicquid eâ comprehenditur, studiosè enucleant. Hoc autem omne adhuc lege continetur, neqꝫ ad id fit extensio, ut supra latè præfati sumus. Si cui tamen

hanc omninò libuerit Extensivam vocare, ei litem de vocabulo haud movebimus, quod vero leges illas Romanas (strictè loquendo) hoc ipso quasi particulares & non rectè latas arguere velint, nequaquam concedere possumus. Res omnis ex exemplis Legum Romanarum patebit clariùs.

IV. Videbimus prius Edictum Prætoris, quod habetur ff. *Quod quisquam Iuris in alterum statuerit, ut ipse eodem jure utatur*: verba ejus hæc sunt: *Qui Magistratum potestatemve habebit, si quid in aliquem novi Iuris statuerit, ipse quandoq; adversario postulante eodem jure uti debet*. hæc est prima pars Edicti. Altera ita habet. *Si quis apud eum, qui Magistratum potestatemque habebit aliquid novi Iuris obtinuerit. Quandoque postea adversario ejus postulante eodem Iure adversus eum decernetur. Scilicet ut quod ipse quis in alterius persona æquum esse credidisset, id in ipsius persona quoq; valere patiatur* Hæc est lex, quæ omnes cives Reipublicæ Romanæ obligabat, quam utiq; universaliter & per consequens rectè latam esse dicimus. Ejus jam consideranda essent primò omnium verba, num scilicet propriè omnia sint accipienda, an verò impropriè; num æquivoca in illis lateant, num Metaphoræ; num amphibolia, num ordo conjunctionum, imò etiam distinctionum sit interturbatus, aut transpositus.{ Num verba ipsâ mente legis sint angustiora, an verò latiora; hæc interpreti primò sunt dispicienda. Post omni studio de mente cogitandum, quæ totum facit negotium; hâc enim rectè investigatâ de sensu legis, ejusq; applicatione non est laborandum. Si nobis hodie quibus Lingua Romana non est vernacula, Edictum hoc interpretandum esset, sanè verba ejus non omni carent difficultate. Dubium enim oriri primò poterat, quomodo Magistratus à potestate differat; num æquè latè poteant; num explicationis saltem gratiâ sint conjuncta, num verò

ob eam

ob eam caussam, ut alterum alterius significationem augeat, legemq; ad plura significanda trahat. Num de omnibus Magistratibus, superioribus, & inferioribus, tribunal habentibus & non habentibus, ordinarijs & extraordinarijs, Peregrinis & urbanis, Proconsulibus & Præsidibus, numnè forte etiam de Legatis, delegatis à Principe, Iudicibus pedaneis &c. De quibus omnibus oriri possunt dubia; nec enim nos expedire possumus, quamdiu nobis non constat de propria horum vocabulorum significatione. Quam quidem nobis investigare difficilius: Iuris consultis vero illis, qui illo tempore, quo promulgatum hoc Edictum fuit, aut non longè post vixerunt, multò facilius; Ortas verò esse controversias de significatione horum vocabulorum inter modernos Iuris Romani Interpretes, quibus idioma Romanum non est vernaculum, non potest latere eos, qui vel inspexêre saltem prolixa Commentariorum volumina, quæ de hujusmodi rebus confecta sunt. Neq; res caret omni difficultate. Sanè non intellectâ germanâ & propria horum verborum vi, nunquam de mente hujus Edicti certi esse possumus. Quomodo verò huic difficultati occurrendum sit, supra latè à nobis est ostensum. Quò lectorem remitto. Neque enim hoc monstrare jam quidem nostri est instituti. Exempla à nobis adducentur, quibus id, quod diximus, sumus confirmaturi.

V. Et verò plurimas Ictorum interpretationes in volumen Iuris Civilis Romani à Iustiniano fuisse compactas, tum ex hoc, quod adduximus edicto, tum alijs pluribus, quæ attingemus, sole meridiano clariùs patebit. Vlpianus *l. 1. §. 1. ff. Quod quisq; juris in alterum statuerit*, post verba Edicti ita subjicit. Hæc autem verba, quod statuerit, qui Iurisdictioni præest, *cum effectu accipimus, non verbotenus & ideò, si quum vellet statuere, prohibitus est, nec effectum decre-*

decretum habuit, cessat Edictum. Nam statuit, verbum, rem perfectam significat & consummatam injuriam, non cœptam. Et ideò si inter eos quis dixerit jus, inter quos Iurisdictionem non habuit; quoniam pro nullo hoc habetur, nec est ulla sententia, cessare edictum putamus. Quid enim officit conatus, cum injuria nullum habuerit effectum? Ita Vlpianus Iὰus priora verba hujus Edicti interpretatur, quæ interpretatio post Iustinianum qq. vim legis obtinet. Ex qua causa verò is concludat hæc verba cum effectu esse accipienda, hâc vice quidem non declarabimus. Reservabitur hoc omne dissertationi sequenti de Extensione & Restrictione. Sufficiat hic modò exempla adduxisse. Poterat is videri in posterioribus verbis Edictum extendisse, dum dicit: *& ideò si inter eos quis dixerit jus, inter quos Iurisdictionem non habuit.* Verùm nihil minus quam hoc facit. Antea enim posuerat, Edicti verba cum effectu accipi; quâ mente positâ non potest non comprehendi quoq; casus hic, quē subjicit. Quicquid enim mente legis continetur, id lege ipsâ comprehendi necesse est, supra quod ostensum est. Atqui hic casus mente legis continetur. Ergò. Ad minorē hanc probandam formamus ex verbis Vlpiani tale argumentum. Vbicunq; decretum non habuit effectum, ibi edictum non habet locum, s. pœna Edicti cessat. Hanc mentem hujus Edicti ponit Vlpianus, quæ num rectè ab ipso fuerit investigata, & quâ ratione, jam dixi me non esse indagaturum. Hâc mente concessâ non aliter possumus subsumere, quàm hoc modo. Atqui quando quis inter eos dicit, inter quos Iurisdictionem non habuit & jus novum statuit, decretum non habuit effectum. Ergò & in tali pœna Edicti cessat. Possent jam plures casus excogitari, in quibus decretum esset nullum: casus verò illos congerere non est extendere legem. Quodcunq; enim, (ut immotam majorem adhuc semel repetam)

repetam,) vel verbis, vel mente legis comprehenditur, ad id non potest fieri extensio. Itaq; haud nobis persuadere possumus hoc in loco Vlpianum Edictum extendisse.

VI. Porro *l. 3.* pergit alteram partem Edicti enucleare: verba ejus ita habent; *Si quis apud eum, qui Magistratum potestatemq; habebit, aliquid novi Iuris obtinuerit &c.* Hæc verba cum obscuriora viderentur, in seqq. explicat. Et verò, cum haud liqueret, num per verbum, obtinuerit, effectus denotaretur, num conatus, ipse ita interpretatur, ut de conatu quoq; intelligat, seu de impetrationis actu, licet effectus non fuerit secutus: secus verò, fecit *l. 1. de verbo, statuit.* Quare hoc cū effectu & illud sine eo intelligi velit, nolumus inquirere: multi multa dicunt: sed putamus id non sine ratione prægnanti factum, quam tamen nunc ne attingemus quidē: quicquid hujus est, id omne in sequentem dissertationem differentes. Audiamus verò ipsum loquentē, *si quis iniquum ad Edictum jus adversus aliquem impetravit; eo jure utatur, ita demum, si per postulationem ejus hoc venerit; cæterum, si ipso non postulante, non coercetur; sed verò si impetravit, sive usus est jure aliquo, sive impetravit, ut uteretur, licet usus non sit, hoc edicto punitur.* Ita libuit ipsi mentem Edicti exponere. Quæ interpretatio quasi authentica scil. ex post facto, legis instar nobis hodiè est.

VII. Porrò cum neq; manifestum esset, quinam per vocabulum, si quis, intelligerentur, num quilibet, qui ullo modo jus novum impetrassent, ita subjicit. *Si Procurator meus postulavit: quæritur quis eodem jure utatur, & putat Pomponius me solum, utiq; si hoc et specialiter mandavi vel ratum habui.* Quæ decisio pendere videtur ex l. 2. h. quæ lex Pauli est, qui dicit mentem Edicti hanc esse, eum solummodo debere coerceri, qui dolo vel statuit, vel impetravit. Quæ an Edicti sententia sit, non inquirimus. Quà positâ major ita formaretur;

retur; Quicunq; sciens volensq; cum adversarij damno h. e. dolo impetravit jus novum, is tenetur hoc edicto. Ast Procurator, qui speciale ad hoc mandatum habuit, sciens volensq; cum adversarij damno h.e. dolo impetravit. Ergò. Ità quis subsumere posset & contra interpretationem Vlpiani concludere. Aut itaq; illa major, quæ Pauli est, nondū sufficiet, & per consequens mens Edicti non tota erit: aut Vlpianus nō rectè interpretatus est. Quapropter dicimus præter illam Pauli rationem aliud quid ad investigandam veram totius Edicti mentem accedere debere, quod jam quidem prætermittentes in secuturam dissertationem differimus. Audiamus porrò, quomodo Vlpianus progrediatur: *Si tamen tutor*, pergit, *vel curator furiosi postulaverit, vel adolescentis: ipse hoc edicto coercetur, Item adversus Procuratorem observandum est, si in rem suam fuerit datus.* §. 5. ead. l. hæc subdit: *Quod autem ait Prætor, ut is eodem jure utatur, an etiam ad heredem hæc pœna transmittatur?* & scribit *Iulianus non solum ipsi denegari actionem, sed etiam heredi ejus* §. 6. *Illud quoq; non sine ratione scribit, non solùm in his actionibus pati eum pœnam Edicti, quas tunc habuit, cum incideret in Edictum; verum & quæ posteà ei acquirerentur.*

IIX. Ictus Gajus l 4. ita subjicit. *Illud eleganter Prætor excepit. Præterquam si quis eorum contra eum fecerit, qui ipse eorū quid fecisset & rectè: nè scil. vel Magistratus, dum studet hoc Edictum defendere: vel litigator, dum vult beneficio hujus Edicti uti, ipse in pœnam ipsius edicti committat.* Quænam hujus interpretationis sit ratio, cordatus lector facilè videt. Neq; est, quod ullā hic fingamus extensionem, cum mente Edicti hic casus sufficienter comprehendatur. Verùm his non imorabor. Liquet ex adductis pleraq; imò omnia, exceptis edicti verbis, in hunc titulum relata, esse interpretationes prudentum, quod supra asserebamus. Pleni sunt iisdem omnes digesto-

gestorum tituli, nec ullum temerè deprehendes, qui non aliquot ad minimum contineat. Nos ex omni eorum numero pauca seligamus, quò id, quod volumus, eò solidius ostendamus. l. 4. ff. *de in jus vocand.* Vlpianus recenset verba Edicti *de in ius vocando*: quod ICti varij variè interpretati sunt. Ascribemus illa. Prætor, ait: *Parentem, Patronum, Patronam, liberos, Parentes, Patroni, Patronæ in jus sine permissu meo nequis vocet* §. 2. *Parentem hic utriusq; sexus accipe. Sed an in infinitum, quæritur: quidam parentem usq; ad tritavum appellari ajunt; superiores, majores dici. Hoc veteres existimasse Pomponius refert. Sed Cajus Cassius omnes in infinitum parentes dicit, quod & honestius & meritò obtinuit.* 3. *Parentes etiam eos accipi Labeo existimat, qui in servitute susceperunt. Nec tamen, ut Severus dicebat, ad solos justos liberos: sed si vulgò quæsitus sit filius, matrem in jus non vocabit*, L. 5. quæ Pauli est; quæ rationem reddit §. ultimi legis præcedentis. *Quia* (mater) *semper certa est, etiamsi vulgò conceperit. Pater verò is est, quem nuptiæ demonstrant.* L. 6. Enucleatiùs idem dicitur, unà cum ratione adducta: quæ qq. Pauli est. *Parentes naturales in jus vocare nemo potest. Vna est enim omnibus parentibus servanda reverentia.* L. 7. de patris adoptivi parentibus quæritur; & ita deciditur. *Patris adoptivi parentes impunè vocabit, quoniam hi ejus parentes non sunt, cum his tantum cognatus fiat quibus & agnatus.* Paulò latius l. seq. Vlpianus explicatum hoc ipsum dat his verbis. *Adoptivum patrem, quam diu in potestate est, in jus vocare non potest, jure magis potestatis, quàm præcepto Prætoris, nisi sit filius, qui castrense habuit peculium. Tunc enim causâ cognitâ permittitur; sed naturalem parentem ne quidem, dum est in adoptiva familia, in jus vocari.*

IX. Quidnam intelligat Edictum per *Patronum & Patronam*, porrò idem Vlpianus *l. 8. §. 1.* ita interpretatur: *Patronum*, inquit, *Patronum. Patroni hic accipiendi sunt, qui ex ser-*

vitute manumiserunt: vel si collusionem detexit: vel si qui præjudicio pronuntietur esse libertus, cum alioquin non fuerit: aut si juravi eum libertum meum esse: quemadmodum per contrarium pro patrono non habebor, si contra me judicatum est: aut si deferente me, juraverit se libertum non esse. Post §.2. Item *l.10.* §§. aliquot explicatur, quisnam revera patronus sit & quisnam non. §.5.*l.* 10. ita ait, Vlpianus. *Liberos parentesq., Patroni, Patronaeq. utriusq. sexus accipere debemus.* §.6. *sed si per pœnam deportationis ad peregrinitatem sit redactus patronus, putat Pomponius eum amisisse honorem, sed si fuerit restitutus, erit ei etiam hujus edicti commodum salvum.* §.7. *Parentes patroni etiam adoptivi excipiuntur: sed tamdiu, quamdiu adoptio durat.* §. 8 *si filius meus in adoptionem datus sit, vocari à liberto meo in jus non poterit; sed nec nepos in adoptiva familia susceptus; sed si filius meus emancipatus adoptarit filium, hic nepos in jus vocari poterit, nam mihi alienus est:* §.9. *Liberos autem secundum Cassium, ut in parentibus & ultra trinepotem accipimus.* Iam ultima verba edicti in reliqua hujus tituli parte explicantur §. 22. *In jus nisi permissu meo ne quis vocet, permissurus enim est, si famosa actio non sit, vel pudorem non sugillat, quâ Patronus convenitur vel parentes; & totum hoc causâ cognita debet facere. Nam interdum etiam ex causa famosa, ut Pedius putat, permittere debet, patronum in jus vocari à liberto, si eum gravissimâ injuria affecit, flagellis fortè cecidit.* §.12. *semper autem hunc honorem Patrono habendum, & si quasi tutor, vel curator, vel defensor, vel actor interveniat patronus. Sed si Patroni tutor vel curator interveniat: impune posse eos in jus vocari Pomponius scribit & verius est.* Cætera omnia, quæ in ultima hujus tituli parte afferuntur, eò collimant, ut extrema verba reddant magis perspicua.

X. Vel sensu deprehendimus, totum titulum ita esse coordinatum, ut continuâ serie verborum Edicti comprehendat interpretationem. Postquam enim monstratum

tum esset quidnam per *Parentem* in universum intelligendum veniret, num latè, num strictè accipiendum (sed de hâc re dicetur in altera parte) statim subditur, quosnam Patroni & Patronæ nomine comprehensos velit edictum. Post continuâ serie, non interrupto ordine additur, quinam liberorum, Parentum, Patroni, Patronæve nomine veniant. Vltimò tamen subjicitur quomodo illa verba accipienda, *in jus sine permissu meo ne quis vocet.* Ita inquam, quasi sensu deprehendimus titulum hunc integrum haud quicquã aliud esse quàm continuã Edicti interpretationem. Quæ partim est declarativa, partim restrictiva. Nam illæ, quib⁹ indagarunt, quinam parentes dicendi, quinam patroni, quinã liberi, meræ sunt explicativæ, seu ad verba pertinent. Reliqua verò omnia ex mente Edicti profluxêre, quã sine dubio accuratè investigarunt, quamq; Ictus Modestinus l. 13. h. quasi compendio dicit. Vbi ait: *Generaliter eas personas, quibus reverentia præstanda est, sine jussu Prætoris in jus vocare non possumus.* Hâc verò cognitâ, quicquid difficultatis interpreti obstare poterat, haud difficulter superatur; concurrente præsertim aliquo modo verborum significatione, quod fieri debere jam supra diximus.

XI. Quod verò luculentè in hoc titulo ostendimus, id eãdem facilitate in reliquis monstrari potest omnibus, præsertim ijs, quibus verba legum h. e. Edictorum, Senatusictorũ, Plebiscitorum & Constitutionum sunt adjecta. In ijs verò, quibus verba legum non sunt inserta, sanè cum docentiũ, tum discentium haud exiguo damno res paulò est intricatior. Optandum esset, ut Tribonianus hâc in parte melius consuluisset. Certè si eo tempore haberi potuissent (quemadmodum multorũ autorum fragmenta nos dubitare non sinunt) præclarè meritus esset de legum disciplina, si omnia legum verba, in quas scriptæ erant Ictorum interpretationes

nes, simul nobis reliquisset. Quamvis de omnibus id tutò affirmare vix liceat. Sed de his alio tempore. Nos pergimus id in aliis ostendere qq. titulis. Videamus itaque proximè Edictum de servo, pro quo noxalis actio est, exhibendo. Prætor ita ait; *In eâdem causâ eum exhibere, in qua nunc est, donec judicium accipiatur.* Totus titulus, qui huic subjectus est, unicè in eo occupatus est, ut explicet, quid sit in eâdem causâ sistere. §. 1. Verba ita habent. *In eâdem sistere quid sit videamus. Et puto verius eum in eadem causa videri, qui ad experiendum non facit ius actoris deterius. Si desinat servus esse promissoris, vel actio amissa sit, in eadē causâ statum non videri Labeo ait. Vel si qui pari loco erat in litigando, capit esse in duriore, vel loco, vel persona mutatâ.* Verùm non opus est omnia verba asscribere, quæ huc facere possint. Nam modi, quibus jus redditur actoris deterius, recensentur plures, nec tamē omnes. Imò haud facilè omnes narrari possunt, nec debent. Sufficit generaliter dixisse, quidnam sit non in eâdem causa sistere; quo posito, prudens judex statim videbit, num hic vel ille in eâdem causa stiterit vel non. Quapropter reliqua quæ varios casus jus actoris deterius reddentes continent, adducere supersedebimus.

XII. Quin ad alia qq. properabimus. Sepositis v. illis, qui immediatè sequuntur titulis, Edictum de his, qui notantur infamiâ, contemplabimur, ad quod plurimas deprehendemus scriptas interpretationes, quas Tribonianus in hunc titulum compegit. *Prætoris* verba sic habent. *Infamiâ notatur, qui ab exercitu ignominiæ causâ; ab imperatore, eove, cui de ea re restituendi potestas fuerit; dimissus erit:* hæc verba primò l. 2. Vlpianus ita interpretatur. *Quod ait Prætor: qui ab exercitu dimissus erit: dimissum accipere debemus militem caligatum: vel si quis alius usq; ad centurionem, vel præfectum Cohortis, vel alæ, vel legionis: vel tribunum sive cohortis,*

tis, sive legionis, dimissus est. Hoc amplius Pomponius ait, etiam eum, qui exercitui praeest, licet consularibus insignibus utitur, ignominiae causâ ab Imperatore missum hac notâ laborare. Ergò & si dux, cùm exercitui praeest, dimissus erit, notatur. Et si princeps dimiserit: & adjecerit ignominiae causâ se mittere, ut plerumq; facit, non dubitabis, & ex edicto Praetoris cum infamiâ esse notatu. Non tamen si citra indignationem Principis successor ei datus est. Iam §. 1. incipit declarare, quid nomine Exercitus designetur, num idem significet, quod vulgò, num peculiarẽ hic sortiatur significationem. Quare autem is ita sumat nos jam non inquiremus. Audiamus ipsum. *Exercitum autem, non unam cohortem, neq; unam alam dicimus: sed numero multos militum: Nam exercitui praeesse dicimus eum, qui legionem cum suis auxiliis ab Imperatore commissas administrat. Sed hic etiam eum, qui ab aliquo numero militum, missus est, quasi ab exercitu missum sit, accipiemus.*

XIII. §. 2. Progreditur in interpretatione verborũ: Ignominiae causâ *missum. Hoc ideò adjectum est, quoniam multa sunt genera missionum. Est honesta, quae emeritis stipendiis vel ante ab Imperatore indulgetur: Et causaria, quae propter valetudinem laboribus militiae solvit: Est ignominiosa. Ignominiosa autem missio toties est, quoties is, qui mittit, addit nominatim ignominiae causâ se mittere: semper enim debet addere, cur miles mittatur.* Reliqua non addam, ne nimiâ transscriptorum multitudine sim molestus. §. 5. *Ait praetor: Qui in scenam prodierit, infamis est, Scena est, ut Labeo definit, quae ludorum faciendorũ causâ, quolibet loco, ubi quis consistit, moveaturq;, spectaculum sui praebiturus, posita sit in publico privatove, vel in vico; quo tamen loco passim homines spectaculi causâ admittantur. Eos enim, qui quaestus causâ in certamina descendunt & omnes propter praemium in scenam prodeuntes, famosos esse Pegasus & Nerva filius responderunt.* L. 4. §. 2. *ait Praetor: Qui lenocinium fecerit: Leno-*

nocinium facit, qui quæstuaria mancipia habuerit. Sed & qui in liberis hunc quæstum exercet, in eâdem causâ est. Sive autem principaliter hoc negotium gerat, sive alterius negotiationis accessione utatur, ut puta, si caupo fuit, vel stabularius, & mancipia talia habuit ministrantia & occasione ministerÿ quæstum facientia: sive balneator fuerit, velut in quibusdam provinciÿs fit, in balneis ad custodienda vestimenta conducta habent mancipia, hoc genus observantia in officina: Lenociniÿ pœna tenebitur §. 3. Pomponius & eum, qui in servitute peculiaria mancipia prostituta habuit, notari post libertatem ait. Post idem Vlpianus ordine sequentia quoq; Edicti explicat. §. 4. eâdem l. exponit, quisnam calumniator sit, & quomodo fiat infamis. Eodem §. quoq; prævaricatorem describit. Vltimò denique, damnatum furti exponit; idẽ in l. 6. adhuc facit clarius. §. 3. ejusdẽ l. 6. dilucidè exponit, quando pactus dicatur fieri infamis. Hujus quoq; mentio fit in Edicto §. 5. Mandati condẽnatus.

XIV. L. VIII. aggreditur Vlpianus interpretationem septimæ partis Edicti, cujuscunq; jussu, voluntate & scientia nuptiæ intra luctus tempus contrahuntur, qui easdem impedire poterat & debebat, is esto infamis. Hâc Edicti verò sententiâ suppositâ, quælibet, quæ hic dicuntur, sine ullo labore subsumere poterimus. Sed hoc nostrum jam non est, ut sæpè diximus. Audiamus ICtos quomodo ipsi interpretentur. Vlpianus ita ait. *Genero, inquit, mortuo. Meritò adjecit Prætor, cum mortuum esse sciret, ne ignorantia puniatur. Sed cum tempus luctus continuum est, meritò & ignoranti cedit ex die mortis mariti, & ideò si post legitimum tempus cognovit: Labeo ait, ipsâ die & sumere eam lugubria & deponere.* L. 11. porrò ait. *Liberorum autem & parentum luctus impedimento nuptiÿs non est.* Quæ seqq. §. 1. 2. 3. 4. it. l. 12. l. 13. §. 1. 2. 3. 4. eodèm pertinent. l. 14. 16. 17. 18. 19. ex interpretatione ad mulierem, quæ ventris nomine in possessionem missa fuit, ea qq. ICti retu-

retulerunt. Lex porrò 23. 24. & 25. rursus ad lugendi materiam pertinēt & latius ea interpretantur. Ita videmus qq. plerasq;, imò omnes hujus tituli leges nihil aliud continere quam interpretationem Edicti, quod revera (si rigorosè & propriè loqui velimus) lex est, reliqua quæ inibi conspiciuntur, interpretationes, ut toties dictum, quæ leges propriè non sunt, nisi vocabulo abuti velis.

XV. Idem apparet qq. in titulo de Procuratoribus, qui ejusmodi interpretationibus est refertissimus; nos eo prætermisso ad Titulū de Negotijs gestis nos conferimus: sed brevibus nos expediemus l. 3. h. Vlpianus recenset verba Edicti. *Si quis negotia alterius, sive quis negotia, quæ cujusq; cum is moritur, fuerint, gesserit, judicium eo nomine dabo. Hæc verba, si quis, sic sunt accipienda, sive quæ: nam & mulieres negotiorum gestorum agere posse & conveniri non dubitatur. Negotia sic accipe, sive unum, sive plura, Alterius, inquit, & hoc ad utriusq; sexum refertur.* § 4. & 5. idem facit. §. 6. ita pergit. *Hæc verba, sive quis negotia, quæ cujusq; , cum is moritur, fuerint, gesserit: significant illud tempus, quo quis post mortem alicujus negotia gessit, de quo fuit necessarium edicere, quoniam neq; testatoris jam defuncti, neq; hæredis, qui nondum adijt, negotium gessisse videtur. Sed si quid accessit post mortem, ut puta partus & fœtus & fructus, vel si quid servi acquisiverint, etsi his verbis non continentur pro adjecto tamen debent accipi.* Solùm hæc exempla, quod quidem hîc intendimus, sufficiant: reliqua noluмus attingere. Poterant videri reliqua, quorum permulta hic deprehenduntur, ex Edicto hoc non profluxisse: verùm si mentem ejus accuratè contemplamur, non est quâ de re quicquam dubitamus. Demonstratum quippe alio tempore daturi sumus, quicquid ab ICtis dictum vel scriptum fuit, id omne à legum sententia vel consuetudine recepta fuisse haud alienum. Neq; isti homines aliter potuerunt.

runt. Erant enim Iuris interpretes, non conditores. Quapropter non leges novas ferre; sed easdē interpretari ipsorum erat. Quod etiā solum ab ipsis factum credendū est, & nos, Deo dante, satis luculente monstrabimus. Idem quoq; conspicuum est ex Edicto. *Quod metus causa gestum erit.* Cujus explicationē totus refert titulus. Verba ejus ita habent. *Quod metus causa gestum erit, ratum non habebo.* Quinā intelligatur metus, num omnis, num quidam saltem explicatur l. 3.4. 5.6.7.8.9. Hujus l. §. 3. Vlpianus illa verba explicat, quæ reliqua sint in Edicto, ratū non habebo. Verba ejus hæc sunt. *Sed quod Prætor ait, ratum se non habiturum, quatenus accipiendum est videamus.* Sed quæ sequuntur in ipso titulo videri poterunt. Nos nimia transscribendo nolumus esse molesti. Edictum *de dolo malo, de Minoribus 25. annis, de capite minutis. Ex quibus causis majores 20. annis, de alienatione judicij mutandi causa facta, de receptis, qui arbitrium receperunt, ut sententiam dicant; Nautæ, Caupones, stabularij, ut recepta restituant. Et si quæ sunt alia.* Ex his inquam omnibus liquidò apparet, plerasq; in his titulis, quas vulgò leges vocant, esse interpretationes Ictorū, qui, ut toties dictum, leges non tulerunt, sed explicarunt. Quod de his fuit dictum, dictum esto quoq; de alijs omnibus. Haud possumus lectori aliter satisfacere, quā si remittamus eum ad ipsam digestorum lectionem, ubi id, quod aliquo modo monstrare cœpimus, plus satis deprehendet. Nos pro instituto huic quidem rei, quam intendimus, ostendendæ hæc quæ attulimus, sufficere putamus.

XVI. Et verò pro Extensione legum, quam nos quidē in genere, tanquam ad omnem legem haud necessariam dicimus, imò legum naturæ, quam supra aliquo modo ex ipsius rei principijs arcessimus, contrariam, videntur haud leviter facere, quæ uno ore fermè & unanimi consensu tradunt Iuris Romani interpretes, quos philosophi nonnulli

secuti

fecuti haut diverfa docent. Verum compendio dicamus, quænam origo & fons hujus traditionis. Iuris Romani interpretes haud aliter poffe per legum illarum, quas interpretari ipfos oportet, varietatem, fupra fatis prolixè confirmavimus. Illi verò, qui ex philofophis aftipulantur, haud propriè vocabulum Extenfionis accipiunt. Etenim fermo omnis de Extenfione legis vel legum eft, quam illi nullo modo explicant. Verum quandocunq; extenfionis mentionem faciunt, de partibus legis loquuntur, nempè vel verbis vel mente legis. Quæ tamen fi feorfim fpectes, leges non funt, fed legum partes. Has enim conftare his duabus partibus nempè verbis & mente fupra latè dictum. Fieri jam poteft, imò frequenter fit, verba mente effe latiora vel anguftiora; & contra mentem latiorem, vel anguftiorem verbis. Quod fi ufu venit, mens ad verba; aut contra verba ad mentem extendenda venient. Aft fic non legem extendimus, fed partem legis, imò nullo modo poffumus dici extendiffe legẽ. Neq; enim plus fub lege fubfumimus, quàm de quo lex intelligi potuit. Quod fi hoc fit, neq; extenditur h. e. ad plura obliganda adhibetur, quam revera antea obligabat. Imò quodcunq; lex antea obligabat, id jam non obligat ex extenfione Ictì; fed obligatio jam tum adeft, quam folùm Ictus, fi fortè obfcura eft, eruit, declarat & perfpicuam reddit. Quicquid itaq; lege comprehenditur, ad id non fit extenfio h. e. per interpretationem Iurisconfulti fieri non poteft, ut id lege comprehendatur, quod revera non comprehenditur; feu ut clarius dicam; *Quodcunq; lex obligatione fua non continet, id ejus vi non fubjicitur* propterea, quod dicat Ictus obligatione legis comprehendi: alias quodlibet ita comprehenderetur, modò id affirmaret Ictus, & fic leges condendi autoritatem fibi arrogaret: hoc autem quam abfurdum & abfonum fit, mani-

festum est omnibus. *Quod verò vel mente vel verbis legis continetur, id lege continetur*. Quæ minor ex illis, quæ supra confirmata sunt, est manifestissima. Ergò *Quodcunque vel mente vel verbis legis continetur, ad id non fit extensio*. Circa id verò, quod neq; mente, neq; verbis legis comprehenditur, cessat Icti sc. Interpretis officium. Hujus enim est solummodò legem, si qua obscuritas in ea deprehendatur, declarare, ut ante præfati sumus, non novam legem ferre. Habemus hic consentientem acutissimum Suarezium lib. 6. de Leg. c. 2. num. 2. in fine. *Quintò* inquit, *addi potest extensio ultra mentem legislatoris, sed hanc non admittimus, ut infra dicemus, nec ultra dictos modos extensionis videtur alius possibilis per comparationem ad verba vel rationem legis.* Et licet concedat ipse aliquot extensionis species, fieri tamen id putamus impropriè. Rectiùs enim partium quam ipsius legis extensionem dixeris. De tali verò haud nobis esse sermonem, ex supra dictis liquet.

XVII. Fatetur hoc conceptis verbis & clarè rem dicit Stephanus de Federicis part. 1. de Interpretat. LL. n. 16. *Aliquando & tertiò*, inquit, *non invicem repugnant* (sc. verba & mens legis) *sed se excedunt, quia aut plus aut minus scriptū est, quàm legislator voluerit l. qui quartam de legat. 1. l. quoties § si duo: de hæredit instit. Quo casu siquidem claris argumentis & rationibus comprehendi potest, plus vel minus esse intellectum, quam scriptum, tunc verba legis amplianda & restringenda sunt, quatenus mente conceptum fuit. Nam non solum id dicitur esse secundum legem, quod scriptum est, sed etiam, quod ex mente, ut dicit textus in cl. l. nominis & rei* &c. Paulò post. *Et licet quoad verba, quia non est expressum literarum figura, videamus legem ampliare & restringere, tamen quoad mentem & sententiam, vel dicitur esse additum & deminutum & sic potius dicimus legem declarare h.e. mentem verbis implicitam & occultam solvere & detegere,*

tegere, quam legem extendere. Rem adeò claram esse putamus, ut ulteriori probatione haud egere videatur. Si reliqui vel ICti vel philosophi idem sentiant, licet aliud loquantur, cum ijs serram contentionis reciprocare nolumus. Quin potius certissimi sumus eos nunquam aliter sensisse, neque sentire posse: licet illorum locutiones videantur paulò incommodiores. Hos solos modos esse putamus. In confesso enim apud omnes est, ICti non esse leges ferre, sed latas interpretari: hoc est, non licere ICto, sententiâ legis posthabitâ, aut etiam ipsa cessante, in locum ejus aliam substituere, quod utiq; novas leges ferre esset, sed teneri simpliciter legem sequi, licet sit dura; quod qua ratione effugere possis, si dicas licere legem ultra mentem & verba extendere (id enim demum revera extendere est) certè mihi non liquet. Id enim esse novam legem ferre, omnibus patet. Quapropter evidentiâ rei coacti in suffragium communis sententiæ ire haud possumus. Rem se ita habere in Iure Romano, sæpius supra monitum. Sed de modis interpretandi hæc ex nomine rei dicta sufficiant.

CAPUT XXX.

DE

Regulis quibusdam ad interpretationem explicativam seu declarativam pertinentibus.

I.

DEmonstravimus jam capite. I. summam interpretationis necessitatem, simulque non minorem ejusdem difficultatem; cum ea non casu, aut ratione, vel incerta, vel probabili, sed certa (cap. II.) fieri credenda; quam non obstantibus ijs, quæ (cap. III.) removimus: inniti firmis suis principijs (cap. IV.) asservimus, quorum nonnulla c. VI ex ipsa natura legum eruta sunt, ut & cap. VII, in quo simul ostensum, quamlibet legem laborare duplici obscuritate,

ratione scil. rerum & verborum; quod capp. IIX & IX latius fuit explicatum. Cum verò eam, quam ratione verborum oriri diximus, hâc in parte potissimū explicandum sumpsimus, aliquam multis capitibus causas, ex quibus obscuritas hæc originem trahit, copiosè exposuimus; quorum usum quantum quidem ad declarativā opus esse videbitur, jam jam monstrare nos oportet, modò monuerimus priùs, nos ea, quæ supra latè confirmavimus, deinceps tanquam concessa & firmiter probata esse habituros. Hunc enim in finem ea omnia tanto apparatu à nobis sunt præmissa.

II. Neque enim nostra ars interpretandi adeò incertitudinis damnata credenda est, ut eam, quam subjecta materia pati potest, tutari nequeat. Cum enim eandē haud temerè & casu quodam fieri supra vidimus; rationē utiq; certam quandam dari oportet, secundum quam quilibet, qui interpres audit, interpretari debet, quæ ritu reliquarum disciplinarum suis non carebit principijs, cujusmodi illa esse putamus, quæ jam jam præmissa esse, diximus, ex quibus si verè & formaliter argumentantur, quid obstat quò minus qq. aliquam ad minimum certitudinem consequi valeamus: Equidem Mathematicam aut aliam quamvis certissimam per subjectæ materiæ naturam mihi polliceri non ausim, nec quisquam eam à nobis exiget. Quapropter eâ, quæ ex rei natura erui potest, contenti nullius assertionem ad mittemus, nisi quæ vel principij rationem habeat, vel ex principijs legitimè deductæ conclusionis. Ita ad illam, quæ nobis speranda est, ni fallor, certitudinem pervenire poterimus.

III. Primò autem repetere liceat, quod supra quoque posuimus. Nempè interpretis esse, mentem legislatoris, quam per leges civibus declaravit, explicare. Hoc primū & ultimum ejus est; hoc unico ipsum circumscribimus.

Men-

Mensura itaque totius interpretationis erit collectio mentis ex signis, quæ illam maximè omnium indicant. Hæc autem præcipue sunt verba; sine quibus nullam legem positivam ne quidem concipere, possumus; Ipsaque non seorsim considerata sed conjuncta, quæ efficiunt orationē. Quapropter hæc præcipuum sunt instrumentum, quo legislator utitur ad declarandam voluntatem. Quo proinde quoque utetur interpres. Quæ autem legislatoris mens est, ea ab interprete explicanda & non alia; aliàs enim mentem non erueret, sed subverteret, & sic non interpretaretur. Hinc etiam quomodo verba accipit, ab eodem capienda erunt. Interpretis autem est mentem legislatoris explicare, & si obscuritas quædam legi adhæreat, ob quam mens ejus non posset percipi, eam removere debet. Cujus enim mentem præcisè explicare tenemur, ejus verba eodem modo, quantum fieri potest, à nobis capienda, quo is ipse accepit: Atqui legislatoris mentem interpres præcisè explicare tenetur. Ergò. Major constat ex jis, quæ supra cap. II. § 2. ex Aristotele de vocum vi & potestate adduxi. Si enim Voces notæ mentis sunt, utique & apud illum, qui loquitur, & apud eum, ad quem sermo dirigitur, eodem modo intelligi debet. Minor ex proximè præmisso principio dependet, & clara est. Quo posito, sequetur Verba ab interprete plerumque propriè esse accipienda. Nam quomodo Verba legum legislator plerumque sumit, eo modo quoque ab interprete plerumq; sumenda sunt, nisi evidentissima causa subesset, ob quam id non liceret. Sed is ita sumit, ut ab omnibus civibus ejusdem linguæ participibus intelligi possit hæc. propriè. Ergò ab interprete quoque sumenda sunt propriè. Major ex præmisso syllogismo constat. Minor ex cap. IX.

IV. Hinc fluit Propriorum cognitionem præcipuè Interpreti

terpreti curæ esse debere. Quæ enim plerumque in legibus occurrunt, eorum cura præcipuè ad interpretem pertinet; sed propria plerumque in legibus occurrunt. Ergò. Hinc patet eum cujusvis linguę, in qua Leges interpretaturus est, propria curiosè indagare debere. Si itaq; Romanus, Romanæ linguæ proprietates studiosè inquiret. Hanc autem frustra venatur, ni & quid sit, & unde desumenda, ipsi constiterit. Quod utrumq; nos supra latè demonstravimus; neque adeò hic repetere opus est. Vsum illorum hic monstrasse sufficiat. Constat jam ex superioribus plerumque proprietatem esse attendendam, nisi evidens ratio suadeat contrarium; Quænam autem illæ causæ sint, que nos à proprietate verborum deducere debent, dicetur infra in altera hujus disquisitionis parte. Hic ea quæ ad explicativam pertinere videbuntur saltem attigisse sufficiat. Quæcunq; itaq; leges sine evidenti repugnantia propriè intelligi possunt, intelligantur propriè: Cujus verò vocis significatio omnibus illis qui ejusdem linguæ sunt, communis est, illa est propria. Mensura itaque proprietatis est multitudo usurpantium in uno eodemque significatu. Legis itaque verba intelligantur eo modo, quo ab omnib⁹, vel à majore parte intelliguntur. Quo itaq; significatu etiam translata & recens ficta vocabula, generalia item & generalissima, lata & latissima ab omnibus vel majori parte sumuntur, eo in legibus sumenda sunt, h. e. propriè: Quando autem strictior & laxior significatio locum habeat, non nisi in altera parte commodè dici poterit. Quæ dixi de vulgari loquendi

usu, ea

usu, eadem de technicis & peculiaribus societatum loquelis dicta volo. Horum proprietas cum pendeat ex peritia artificum, quo sensu peritiores & peritissimi utuntur, is capiendus est: hic enim est proprius. Si pugna de his oriatur, artificibus fidendum; si inter hos, peritioribus & pluribus. Qui horũ usum in interpretatione LL. Rom. cernere gestit; is ante omnia vocabulorum Romanorum proprietatem ignorare non debet. Et cum in hodiernis illis fragmentis, prout à Iustiniano nobis sunt relicta duplex sit proprietas, vocabulorum nempe popularium, ex quibus leges propriè dictæ constant, & technicorum, qui originem ab interpretibus Romanis, qui ICti vulgò audiunt, traxêre & à compilatoribus in Codicem legum unà relati sunt, ut & leges & artem easdem interpretandi unum corpus contineat, neutram ignorare potest. De prima hæc regula esto. In quacunq; significatione Vox apud plerosq; scriptores (per hos enim hodiè lingua conservatur) Romanos usurpatur, illa est propria: & hac ratione etiam in legibus est accipienda. De altera itidem hæc erit. In qua sigficatione vox technica Iuris civilis Romani apud peritiores Iuris civilis & plures usurpatur, ea est capienda. Si pugna quædam oriatur de significatione alicujus vocabuli, ita ut aliter id usurparent scriptores reliqui, aliter verò ICti: tum ita habendum. Si populare, est à multitudine scriptorum standum; si technicum, ab usu peritiorum. Hæc ijs, quæ præmissa sunt, firmiter

innituntur fundamentis; & ex quibus sua etiam, quæ usurpant Interpretandi præcepta, ICti Romani desumpserunt, ut ex illorum voluminibus perfacile esset id ostendere, nisi chartæ parceremus. Fiet autem id σὺν τῷ θεῷ in altera parte prolixè.

V. Hæc ita ex natura rei sese habent. Verùm cum mente percurramus & orationis naturam, quæ nunquam non obscuritati est obnoxia, ut & leges variarum gentium, videmus solam hanc, quam posuimus, regulam nullatenus sufficere, sed innumeris modis ab eâ esse recedendū. Contingit verò partim defectu, qui ipsis vocibus & orationibus adhæret, partim vitio ipsorum Legislatorum, partim etiam aliis ex causis, quas supra latissimè commemoravimus. Quamlibet etenim orationem obnoxiam esse obscuritati, supra, ni fallor, plus satis est ostensum. Emergit verò illa non saltem ex vocibus singulis, ex quibus oratio constat; sed ipsa ejus compages ab hâc minimè immunis est credenda. Cum verò legislatores non minus, ac vulgò fit, usitato modo loquantur, fieri vix potest, imò planè non, ut defectus, vel vitia, quæ orationi vel vocibus adhærent, effugere queant. Quapropter quæ quamlibet aliàs orationem obscurare solent, eadem Leges quoque obfuscare per est frequens. Quæ autem hujusmodi sunt, ea tollenda ab eo, qui orationem illam est declaraturus. Hinc quæ Legū vim sententiamve pervertere, vel impedire, vel obscurare ullo modo queunt ea ab interprete sunt removenda. Quæ quidem omnia tanquā supra probata hic supponimus. Quū verò, ut paulo ante dictum, Leges obscuras efficiant, non solum voces singulæ, sed etiam conjunctæ, ut supra aliquot capp. ostensum, utrasque has declarare Interpretis est, Primò autem dicemus de singulis. Eæ autem, ut breviter repetamus, quæ supra latè confirmata sunt; ex quibus omnis

nis constat oratio, vel propriæ sunt; vel impropriæ; vel Metaphoricæ; vel analogæ; vel æquivocæ; vel ambiguæ, vel dubiæ; vel obsoletæ, vel noviter factæ; vel peregrinæ, vel generalissimæ, vel generaliores, vel generales, vel speciales, vel latissimæ, vel latiores, vel latæ, vel strictæ. Tot difficultates orationem & per consequens leges stipare posse, supra latè dictum. Nos de singulis paucas regulas sumus tradituri. Et quidem, cum de proprijs jam dictum sit, supererit, ut de reliquis quoque dicamus.

VI. De improprijs hæ sunto: Voces in LL. impropriè capiendæ non sunt, nisi ex prægnanti & urgente causa. Ratio hujus ex superioribus constat. II. Voces LL. toties impropriè sumendæ, quoties gravis id causa postulat. Quænam autem causæ eæ sunt, dicetur infra, ubi de mente sumus acturi. III. Voces LL. ne impropriè significantes quidē tolerari non possunt; sed prorsus cessant & per consequens ex ejusmodi lege nihil certi elici potest. Sine quibus enim mens legis prorsus haberi non potest, ea si absint, cessat lex. Atq; sine omni verborum significatu mens legis prorsus haberi non potest. Ergò. Et major & minor latè supra confirmatæ. Si autem ne impropriè quidem significantes tolerari possunt voces, omnis earum significatus abest: Si enim non significant id, quod apud omnes valent, neque etiam id, quod apud paucos & raro (hoc autem est impropriè)

 pror-

prorsus nihil significant. Ergò Si neque impropriè tolerari possunt, cessat tota lex. De metaphoricis sic habendū. I, Si ab omnibus in uno eodemq; significatu semper vel plerumque usurpatur, Metaphorica significatio propriæ præferenda est. Ratio est; quia tum propria fit; hæc autem plerumque in LL. sumenda, ut ex antecedentibus patet. II Si certò constat scientem volentemq; Legislatorem saltem elegantiæ gratiâ Metaphoras adhibuisse, propria illa verba, quorum loco Metaphoras adhibuit, substituenda sunt. Ratio est, quia Interpretis est obscuram legem perspicuam reddere, sed qui loco Metaphorarū, quæ orationem obscurant ex cap. XVIII. propria substituit, hic perspicuam reddit. Hæc enim perspicua sunt ex cap. XVI. Ergò. Quod à nemine fieri potest, nisi eo, qui & proprietatē novit & modos transferendi ex cap. XVIII. Rem omni difficultate carere putamus, si legislator artis fuit peritus. Tum enim Metaphoram aliunde desumere non potuit, quàm vel à genere ad speciem, vel à specie ad genus, vel à specie ad speciem, aut ab analogia. Fieri enim non potest, ut alia detur metaphora, siquidem rectè & cum ratione transferre velis; qua propter res ex reg; I decidenda est. Quod si jam perspectum habeas, cujus ordinis Metaphora sit, facile proprium in ejus locum substituere poteris; quo facto oratio perspicua redditur, & per consequens finis hujus obtinetur. Quæ autem voces sint Metaphoricæ, hic non docebo; factum est id prolixè cap. XVIII. ubi simul latè dictum, quæ requirantur ab eo, qui orationes Metaphoris abundantes inter-

interpretari velit & quomodo idem quam commodissimè fieri debeat. Quæ omnia hic præsupponimus. III. Si species pro genere posita sit, spectanda est materia legis, ratione cuj⁹ generaliter vel specialiter intelligenda est. IV. Item si genus pro specie, idem faciendum erit. V. Si species pro specie posita inveniatur, mens disponentis attendenda ex illis signis, quæ infra, ubi de mente dicturi sumus, indicabimus: quorum ratione hic vel ille sensus capiendus. VI. Si Metaphoræ ab analogia desumptæ occurrant, aut usu ita invaluerunt, ut ab omnibus eo sensu capiantur, & propriæ sunt; aut à quibusdam saltem, nempè artis speritis; hocque casu, aut constat legislatorem scientem volentemq; adhibuisse Metaphoras elegantiæ causa, tum ex reg. II. judicatur: vel si hoc non constat, tum aut Metaphoræ propria significatio nota est, aut non nota; Si prius capienda est illa, si cætera sunt paria; sin minus, habenda hæc tanquam propria; aut si hæc omnia simul adhibita rem conficere nequeant, ad mentē legis confugiendum, secundum quam acceptio postea regulanda. Si enim hanc assequimur,

quimur, nihil obstat, sive propria, vel impropria seu Metaphorica sit, per quam eam consequamur. Ex quibus patet, eum, qui leges Metaphoris perscriptas interpretari vult, gnarum esse oportere, non solùm artis transferendi, sed etiam proprietatis, simulq; istius habitus, cujus beneficio mentem legis venari queat. Hæc quidem de Metaphoris ex natura rei, quantum ad declarativam interpretationem attinet, dici debuêre, reliquis reservatis ad mentem legis.

VII. Quæ de analogis & æquivocis tenendæ sunt regulæ, quoque dicendum est, si monuerimus ea hic esse repetenda, quæ cap. xxi. tradidimus. Si itaq; æquivoca in legibus occurrant, aut eorum definitionem nominalem legislator adjecit, aut non; si prius, aut expressè aut tacitè; si expressè, capienda est vox eo significatu, quo ipse vult; si tacitè, colligimus ex materia subjecta; si autem neutro modo, vox sumenda est eo significatu, qui vulgò principalis est h.e. proprius. Hunc enim plerumque in legibus sumendum esse, supra dictum est. Ita res se ex natura rei habere debebat. Verum quàm longè à verò & genuino modo hac in re abeatur, ex variarum gentium LL. constare potest. Nullum aliud adminiculum superesse potest in LL. ad investigandam

æqui-

æquivoci vocabuli significationem, quàm materia legis: cujus beneficio si non in cognitionem hujus deferamur, vix eam assequi licebit. Accedit major difficultas, si cum quorundam legibus simul ars quædam interpretandi sit compacta, adeoq; diversorum vocabulorum, nempe technicorum, quibus ars utitur, & popularium, quibus leges loquuntur, simul concurrat. Illa quoniam universalia tradit, latentiores tradit æquivocationes & proinde etiam difficiliores. Quæ enim magis latent, quæq; majorem inter se affinitatem habent, eo difficiliores nobis judicandæ venient: Atqui in universalibus magis latent, uti supra, cap. xxi. ostensum fuit. Quapropter in legibus Iuris Romani hanc ob causam plus negotij fortè hæc facessere possunt. Quæ à nemine dijudicari queunt, nisi eo, qui habitum illius interpretandi sit edoctus. Vt verò hanc doctrinam compendio dicamus; dicimus, qn. ejusmodi vox æquivoca in LL. occurrit, usum loquendi communem, tum popularem, tum technicum esse consulendum, & materiam, ut & mentem legis, quam ex alijs signis collegimus, accuratè esse ponderandam. Ita vix fieri potest, ut veram significationem non assequamur.

IIX. De analogis fortè res intricatior. Hæc enim ut cap. xxi. monstravimus, non unius sunt generis; quapropter etiam non uno modo Interpreti negotium facessunt. Tametsi enim quælibet vox analoga de re, quam principalis h. e. propria significat, nonnihil participare debeat, tn. id non fit æqualiter. Hæc enim magis; hæc minus habet; quo fit, ut haud certus esse possis, num vocabulum in LL. quas interpretari debes, omnia significet, quæ aliàs ambitu suo complecti soleat. Impossibile est hic quicquam certi statuere posse, nisi denuò in auxilium voces & materiam & mentem Legis. Vt jam sole meridiano clarius ne-

teat, eum, qui solummodò naturam orationis callet minimè hoc solo habitu ullam legem interpretari posse. Pono eum nullius vocabuli ignorare proprietatem; nosse omnia æquivoca; in promptu qq. habere analoga, & ita quidem ut expeditè inter ea distinguere sciat, quantum nempè hoc de re, quam propriè scil. significat, participet; quantum item hoc, quantumq; aliud; addo, prorsus nihil eum fugere, quod ad exactam vocum cognitionem pertinere videbitur, nondum tamen determinare poterit hanc acceptionem hujus vocis in hâc lege esse capiendam & non aliam. Vnde quæso ipsi constabit; num sequelam hanc admittes? Tot vel tot modis vocabulum hoc accipitur. E. hoc in loco, hoc modo accipiendum est. Quare non alio modo, si plura habet significata? voluntas sanè dicentis non sufficit. Ex natura itaq; verborum, quatenus talium, causa nulla reddi potest, quare hæc vox in hoc loco hunc habeat significatum, & non alium; licet omnem adhibeas diligentiam. Quapropter per naturam rerum fieri aliter non potest, quam ut spectes id, de quo in LL. agitur h.e. subjectam materiam, ratione cujus etiam diversas vocabulorum acceptiones metiri potes. Quod si hic modus forte nonnullis displiceat, eos maximopere rogatos volo, ut vel naturam verborum mutent, vel modum monstrent commodiorem, & habebit nos non solum non repugnantes, sed & vehementer gratos. De analogis itaq; non lubet quicquã adjicere, præterquam tritissimũ illud; omne analogum per se positum stat pro significatione famosiori. Ignorare autem interpres non debet analogica vocum significata, quæ vel usu loquendi populari vel technico colligere potest: quemadmodum nec illud quantum scil. quodlibet de re principalis parti-

participet, Quod enim nihil ferè habet commune, ad æquivocum deflectit & facilè annotari potest. De reliquis, quæ propius accedunt, hæc regula tenenda est. Vox analoga quò plus de re & ratione principalis participat, eò magis sub mente legis intelligitur. Quæ autem illa sint, quæ plus vel minus habent, interpreti dignoscenda sunt.

IX. Ex his oriri diximus latam, latiorem & latissimam; ut & strictam significationem. cap. XVII. quæ in propriè dictis legibus, quæque latæ sunt, eo quo debent modo, nempè verbis claris & perspicuis h. e. proprijs non multum adeò difficultatis creare possunt. Quæ acceptiones uti non abhorrent à populari loquendi consuetudine: ita hæc h. l. tanquam regula attendenda, Quâ enim significatione vocabulum à pluribus accipitur, h. e. vel latâ vel latissima, ea quoque in Legibus sumenda, si cætera sint paria. Propriū enim in LL. esse accipiendum sermonem, quantum fieri potest, ad nauseam usq; supra inculcatum. Quæ supra de analogis & æquivocis diximus, materiam nempe legis esse spectandam, eadem & hic repetere oportet. Num enim laxior, num strictior vocis significatio sit capienda, non aliunde nobis constat, quàm ex subjecta materia, quæ an favorabilis, odiosa, taxatoria, limitatoria, & exorbitans fuerit, videbimus in altera parte.

X. De Generali & generalissima & item speciali cap.

potest. Ratio est; quia leges debent esse universales: ut supra ostensum est. Quæ autem generaliter, aut generalius, quæq; generalissimè, aut specialiter sit capienda, rursus ex materia subjecta apparebit; quæ unà cum mente legis in subsidium est devocanda.

XI. De peregrinis seu linguis, quas Aristoteles γλώτlας vocat, non est quod simus solliciti. Non enim in LL. occurrunt. Si verò in ijsdem contineantur: consulendus est usus, qui eas invexit, & secundum eam interpretandæ; si de eo non constat, periti illius linguæ, ex qua desumptæ sunt, adhibendi, qui possint & velint easdem interpretari, hæc duo enim concurrere debent, si hi haberi non possunt, aut lex sine harum cognitione intelligi potest, & eæ non adeò solicitè curandæ: aut non potest, tum si adhibita omni diligentia, quæ in hominis vires quidem cadere potest, ejusmodi lex impunè ignoratur. Quodcunque enim, Moraliter, impossibile est, neque nos illius impossibilitatis causa sumus, Id impunè à nobis omitti potest: Atqui cognitio ejusmodi legis, quæ peregrinis vocabulis est perscripta, quæ adhibita omni diligentia, quæ in hominem cadere potest, intelligere non possumus, est moraliter nobis impossibilis. E. In Iure Romano non pauca sunt ejusmodi peregrina, quorũ significata usus facilè aperit. In jure feudali longè major copia: quorum plurimorum originarias significationes revera ignoramus; ut hodiè significatio illorum penes nos longè sit diversa ab ea, quam olim habuere Longobardi. Sed parum refert. Supra enim id demonstravimus,

non

non minus hodie penes nos omnes (dico omnes, qui alicujus corporis vel societatis participes sint) Ius esse vocibus significationē indere, quam fuit penes priscos. Sane quam significationem omnes fabri vel sutores, vel plurimi instrumento sibi usitato nomen imposuerunt; quod fortè nunquam usitatum, id proprium est. Quod jus omnibus reliquis commune, quis denegabit ijs, qui circa leges versantur? Si hi consentiant in alicujus vocis significationē technicam, ea utiq; propria erit, & per consequens sic intelligenda, prout apud ipsos sumitur. Tametsi itaq; significatio ferè non paucorum vocabulorum à nobis hodiè sit mutata, id tamen proprietati eorum non obstabit; hanc enim à Communi usu dependere, vel centies dictum.

XII. De priscis & obsoletis in LL. nil attinet dicere. Tales enim in LL. deprehendi non poterunt; nisi ipsæ Leges ab usu recesserunt: quorum interpretatio postea non adeò curanda. Quæ enim supra de his cap. XXII. dicta sunt, intelligenda veniunt de priscis illis & antiquis LL. quæ dudum ab usu recesserunt. Etenim si illæ in vigore permansissent, à primo earū promulgationis tempore, aut illi, quibus latæ erant, intellexissent, aut non; si hoc, nulla obligatio orta esset, ut ex superioribus constat, & sic ne semel quidem in actum fuisset traducta; si illud, aut constanter servatæ essent à posteris ad nos usque, aut non; si hoc, recessissent ab usu & sic per consequens nos non obligarent; si prius, intellecta ea quoque essent, & sic earum cognitio ad nos quoq; fuisset propagata. Si tamen in LL. vetustis, quæ adhuc in usu sunt, deprehenduntur ejusmodi voces,

XIII. Dubia & ambigua in legibus benè latis rarò occurrunt; si tamen interdum quædam sese offerant, capiendus est eorũ sensus, qui caret vitio: nempe is, qui menti disponentis sit convenientior, ut & materiæ Legis, quiq; in consuetudine loquendi magis versetur. Si unum vel alterum verbum tale in lege inveniatur, ejus acceptio ex contextu integræ legis facilè erui potest. Si autem omnia vel pleraq; talia, tum aut talis sensus, concurrente aliquâ verborum significatione, elici potest, qui menti prudentis sit conformis; hanc enim ultimò mensuram ponimus; si autem ne hic quidem erui potest, concurrente, ut dixi, aliqua verborum significatione, sive propriâ, sive impropria, lex cessat. Verba enim omninò aliquo saltem modo significare debent, ut supra dictum; alias signa voluntatis esse non possunt. Tot sunt, quæ orationẽ & per consequens legem obscurare possunt, si seorsim consideres. Iam ut finem tandem primæ huic parti imponamus, de ijs dicendum, quæ conjunctim eadem obfuscare possunt. Actum autem à nobis hâc de re est cap. XXIV.

XIV. Non minor credenda est hæc difficultas, quàm integra orationis & per consequens Legum parit compages. Præterquam enim ea ipsa, quâ de supra latè actum est, in eodem simul esse possit; hæc quoq; peculiarem parit obscuritatem. Fieri enim potest, ut simul verba suis laborent vitijs & ipsa structura orationis propria quoque sit circumdata. De priori quoniam supra copiosè dictum; de hoc pauca subjiciemus. Quicunque itaque orationis ordo s. structura vim ejus pervertit & mentem interturbat, is ab interprete est removendus & in locum ejus, qui menti legis conveniens, substituendus. Sed amphibolia articulorum & conjunctionum, interpunctionum & aliorum quoq; huc pertinentium ordo perturbatus vim ejus pervertit & mentem interturbat. Ergò. Quapropter Inter-

preti

preti curæ erit hæc, si occurrant, dextrè explicare & difficultatem tollere. Qua in re ferè nullo alio adminiculo niti potest, quam mente legis, quam aliunde investigare debuit. Non sunt quidem inutiles Rhetorum regulæ; verùm hæ rem conficere non poterunt. Hunc usum tibi prębere poterunt, ut cognoscere queas an hìc dicenda amphibolia; an ordo conjunctionū malè se habeat; aut interpunctionis, aut articulorum; aut denique epitheton ambiguè sit collocatum; horum enim terminorū tum denominationem, tum definitionem docet Rhetorica; quinam verò verus & genuinus legis sensus, & qua ratione is perturbatus in ordinem sit redigendus, certè non aliunde constare potest, quam ex mente Legis, quam alijs signis investigavimus: ad quam exprimendam si postea verba seu oratio in ordinem redacta concurrant, sic satis de eâ certi esse possumus.

XV. Hinc patet Interpretem Legum ea, quæ à Rhetoribus & Grammaticis traduntur, nequaquam ignorare debere; ijs verò solis contra vulgarem sententiam officium ejus non absolvi. Non negamus quidem Grammaticen & Rhetoricen artem insignem Interpreti Legum præbere usum posse, quemadmodum suprà ostendimus; ijs verò solis, ut rectè antè dictum, munus Icti haud terminamus. Fieri enim posse supra vidimus, ut verba nobis interdum relinquenda sint, & ad mentem Legis confugiendum, quam aliunde quàm ex verbis legis investigasse oportuit. Quod cum sit, nequaquam hi ex sola vocum cognitione rem conficient sed amplius quid ipsos addere oportet. Non nominabimus eos, qui se pro Interpretibus Romani Iuris venditant, cum tamen nudi sint Grammatici aut Rhetores;

prete dicere licebit. Verba ejus ita habent: (scil. Philologiam & philosophiam) *nos in accurato Theologo requirimus; cognitionem inquam linguarum tum disciplinarum.* Paulo pòst ita pergit. *Manifestum itaq; quemadmodum volucris non unâ sed geminâ alâ sese librat & in altum evolat; Ità quoq; adminiculo utriusq; eruditionis, philologicæ inquam & philosophicæ suavi copulâ mutuò devinctarū & reciproca ope sese invicem adjuvantium, ad sublimia studij Theologici enitendum esse. Qui alterutram negligunt aut contemnunt, haut aliter factitant, quàm si volucrem unâ præcisâ alâ ad volatum instruant.* Paucis interjectis porrò ait: *Neq; felicius rem gerunt, qui literarum & linguarum peritiam professi reales disciplinas vituperant aut damnant, suasq; literas solas Iuventuti commendant, scientias contra exosas reddunt. Quanquam pleriq; literis oratoriam & historiam jungunt, propter maximam utriusq; cum literis cognationem & quòd auctores, è quibus elegantiam & puritatem dictionis, quâ unicè delectantur, hauserunt, propemodum omnes aut oratores aut historici sint. Hi quum duobus oculis possent, imò uti deberent, uno malunt, & altero suâ sibi sponte se privant. Iidem ut modò dicebamus, volucres ad volatum emittunt unicâ instructas alâ, alterâ innodatâ vel incisâ, quod feliciter successisse nunquam vidimus.* Idem interpreti nostro contingere puto, si solùm verba scrutetur, adeoq; unâ saltem alâ sit instructus. Imò optimo jure de eodem dici posse existimo, quæ paulò post de Theologo subnectit laudatus ante Calixtus. *Nempe sunt*, inquit, *qui quum animadvertant, omnium propemodum auctorum linguam se intelligere, res quoq; quascumq; ijdem auctores tractant, se eadem operâ adsequi & penetrare persuasum habent, & quicquid aut olim disputatum fuit, aut hodiè controvertitur, ad suum tribunal trahunt. Quamvis magna sit dictionum & rerum cognatio, & voces propter res fuerint inventæ, nondum tamen, quod illi sibi arrogant, efficitur.*

tur.

tur. Res enim intelligit, non qui vocabula, quibus appellari consueverunt, cognita habet, sed qui naturam ipsarum mente comprehendit, & quid alia vel commune cum aliis, vel diversum ab iis sortiantur, quem mutuum nexum & dependentiam ab invicem, effectus videlicet à causis, affectiones à principiis obtineant, perspicit. Ad hæc quidem significanda & explicanda faciunt voces, ut possimus ea vel discere vel docere: interim fieri potest, & fit sæpe numero, ut voces & earum significationem, originationem & structuram sciant, qui rem tamen, de quâ agitur, adsequi & comprehendere nequeant. Hæc ibi summus Vir, quibus nil nisi album calculum adjicere possum.

XVI. Si prolixitas quædam in legibus deprehendatur, tum in formam Enunciationum redigendæ sunt, quod Interpretes Iuris Romani summas appellant. Neq; insuper habebit ipsas Enunciationum formas, cum non magis quam vulgò fit in reliquis disciplinis, eæ hic attendendæ: nec sic id, quod sub conditione dicitur aut reduplicativè, aut exceptivè seu demonstrativè; accipiat simpliciter. Imò quicquid differentiæ unquam in propositionibus invenire licebit, id ab interprete haud prætermittendum ducimus. Quapropter in quovis solidam logices cognitionem requirimus; neque imperitæ multitudini assentimur, quæ aliter juridicè, aliter philosophicè sivè logicè disputandum esse clamat. Iudicamus has voces imperitas & barbaras imò irrationales & bovinas. Verùm ut finem tandem primæ huic parti imponamus, plus satis de verborum s. declarativa interpretatione dictum arbitramur. Pergimus nunc, Deo dante,

quoque, quam è propinquo nobis ostendit, ita confirmare dignetur, ut fremente ejus turbatorum catervâ, nihilominus rata & firma permaneat, quò pacis studia omnesque bonæ leges in perpetuo vigore in sui ipsius gloriam & nostrûm omnium salutem usque persistere queant.

DEO GLORIA.

Errata.

Cap. I. §. 1. pro plurimùm. l. plurimum. Cap. II. In princ. deleatur unum di in voce tollendi. Cap. III. §. 2. l. verè philosophum pro verò phil. §. 5. pro legitur, tegitur. Cap. IV. §. 2. ἀμετάπλαστον pro ἀμεταπλοστον. §. 6. principia pro propria. lin. 4. §. 9. init. IX. pro IY. Cap. VI. §. 5. in fin. hominem pro hom-nem. §. 6. ll. sunt tales pro tales. ibid. circ. fin. vitia pro vitia. lin. penult. unamquamq; pro unumquamq;. §. 9. οἴομαι, pro οἴμαι. ibid. πολιτεία pro πολιτεία. θείων pro θείων. ibid. τὴν pro τῶν. τιμᾶν pro τιμᾶν. §. 10. f. circ. fin. divinam pro divinem. §. 11. post v. assuescere verò *delendum, ibid. infirmam pro in firmam. §. 12. pro ex-pedire, expedire, Cap. VII. §. 1. l. 3. post iis deleatur q;. §. 3. concludit pro conclndit. Cap. IIX. §. 1. amputari pro amputare. §. 4. post v.* confirmat idem lib. *(inserendus est num.) II. m. m. Cap. IX. §. 1. secus pro locus. Cap. X. In princ. Συνέσεί pro Σύνεσί. §. 4. TransRhenanarum pro rtansRhenarum. Cap. XI. Statim initio CAPUT XI. pro CAP. XII. §. 2. haudquaquam pro haudquaque. §. 5. orietur pro oriretur. Cap. XII. Statim initio c. XII pro XIII. §. 4. Καίσαρος pro καισαρος. ibid. μεταφορὰν pro μεταφορο. εἰρήνης pro ἰρηνης. §. 7. inimitando pro inimitando. §. 8. κύριαι pro κύρια. §. 9. asseritur pro asserit. §. 11. societates pro societatis.*